DE

C. SUETONII TRANQUILLI
VITA ET SCRIPTIS.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIX. M. MAII A. MDCCCLVI.

H. L. Q C.

CONTRA ADVERSARIOS

H. SCHNEIDER, SEM. PHIL. REG. SOD.
A. JUNG, SEM. PHIL. REG. SOD.
R. LUDWIG, SEM. PHIL. REG. SOD.

PUBLICE DEFENDET

JOSEPHUS REGENT,

VRATISLAVIENSIS.

VRATISLAVIAE,
TYPIS HENRICI LINDNER.

Quod in antiquitatis longe plurimos legendo scriptores nobis usu venit, ut quo diutius in iis versemur, eo magis alliciamur, teneamur, delectemur, idem Suetonii quae restant opera recensenti ita certe contingit, ut quod Plinius [1]) de contubernali, hic non gravate de scriptore pronuntiet: „tanto magis diligere coepi, quanto hunc propius inspexi.“ Quapropter admodum profecto mirum, quod, si numerum spectas, pauci tantum fuere, qui vitis eius perscrutandis operam navarint. Sunt quidem viri illi celeberrimi iique artis nostrae lumina, Casaubonus, Ernestius, Oudendorpius, Wolfius, qui in explicandas illas atque emendandas studia contulere, sed ex illis temporibus mirum quantum a viris doctis hucusque sint neglectae. Minime vero fragmenta operum Suetonii ipsorum excitarunt curas, ita ut hunc usque ad diem intacta fere iacuerint. Atqui auctoris sunt, cuius, ut iure monuit Scaliger [2]) ad Euseb. n. 1959, omnes libros exstare pluris interesset rei publicae litterariae, quam multos, quibus aequo animo careremus, si illis potiremur. Quod quum ita sit, equidem pauca de Suetonii vita praefatus am animo mecum constitui ista colligere, disponere, illustrare. [3])

I. De vita Suetonii.

C. Suetonius Tranquillus quo loco natus sit, dicere nequimus, quo tempore, non nisi coniectura assequendum. Ac profecto quoniam in vit. Domit. cap. 12 [4]) se adolescentulum facinori interfuisse dicit, quod Domitiani temporibus, quum ex Judaeis tributum in fiscum exigeretur, seni alicui illatum sit, natum eum esse intra ann. 63 et 68 post Christum probabile est. Satis enim inter omnes constat, Domitianum inde ab anno 81 imperium habuisse. Est autem, quia iam ex censione Servii Tullii pueritia decimo septimo anno finiebatur (cf. Ulpian. tit. De postulando: Pueritiam dumtaxat minorem annis septendecim, qui eos non in totum complevit, prohibetur postulare), sub adolescentuli nomine homo septendecim vel sedecim annorum intelligendus. [5]) Quodsi igitur facinus illud anno 82 commissum esse ponimus, Suetonius anno 66 vel 65 natus videtur. Nec ratiocinandi huic modo alius Suetonii locus obstat, qui est in vit. Ner. cap. 57. Narrat ibi ille viginti annos post Neronis mortem se adolescente exstitisse aliquem, qui se Neronem esse iactaret. Jam Nero, quia mortem occubuit anno

68, is qui credat, Suetonium viginti fere annos natum adolescentem[6]) se habere potuisse, facile concedat, circa ipsum illud mortis Neronianae tempus vel antequam Vespasianus regnare coepisset, esse eum natum. Patre utebatur Suetonio Leni, cui non minus haud dubie propter mores suos Leni quam filio Tranquillo cognomen ob pectus, quod ei erat tranquillum, inditum est. Erat enim ille bello Othoniano legionis tertiae decimae tribunus angusticlavius (vit. Othon. c. 10)[7]) atque ideo fortasse ex lenitate ei erga milites cognomen illud ortum. Quod quum primum in patre invaluit, non eodem quidem verbo, ut est consentaneum, sed eiusdem significationis voce in filium transierit,[8]) in quo ut natura fert, simillimi atque iidem fere mores plus minusve conspicui. Apparet autem ex muneris, quo pater functus est, significatione, caruisse hunc equitum splendore, ipsa cum gente qui coniunctus esset. Nam qui clara erant equestri gente, illustres vocati, lato clavo utebantur, contra qui fortitudine ad equitum gradum pervenerant, angusto clavo.[9]) Cui nihilominus dignitatem fuisse haud exiguam, facile ex eo quis concludat, quod C. Maecenas Vipsanius cum et Caesari Augusto et M. Agrippae carissimus atque adeo intimus esset ideoque amplissimos in republica honores capere potuisset, angusto tamen clavo contentus fuit.

De matre Suetonii nil nobis innotuit itemque avi etsi ipse aliquo loco (vit. Cal. c. 19) mentionem fecit, quippe quem puer narrantem audivisset, non ita eum commemorat, ut liceat accuratius noscere. Certe is, ut ex Suetonii verbis apparet (l. l.) interioribus aulicis familiariter usus est et usque ad Titi vel Domitiani tempora vixit. Occurrunt autem, quos gentis Suetoniae fuisse ipsum nomen declarat, hi praetereaviri:

1. C. Suetonius Paulinus, quem Tacitus Hist. II, 37 „vetustissimum consularium et militia clarum“ nominat ac laudat etiam Ann. XIV 29, 34, 37 Agr. 5, 14 Hist. I, 87, 90 II, 23, 25; 31, 44, 60. Erat idem consul (Tac. Ann. XVI, 14 Frontin. de aquae duct. urb. Romae 102) anno 66 p. Chr. n., 818 urb. (cf. Fast. cons. in Cic. ed. Orellii tom. VIII p. LXXII.)

2. C. Suetonius Claudianus, cuius in excerpto ex comment. cottid. municipii Caeritum a. 113 p. Chr. n. (apud Gruter. p. 214, Orell. n. 3787) mentio fit.

3. C. Suetonius Paullinus, qui commemoratur in laterculo milit. apud Marini fr. arv. I p. 324.

4. C. Suetonius Optatianus, qui vitam scripsit Taciti imperatoris (cf. Vopisc. Tac. 11) eaque in re fortasse Suetonium Tranquillum,[10]) consanguineum sibi sumserat imitandum.

Jam ipse Tranquillus erat quidem, ut diximus, Nerone imperante natus, sed aeque ac Tacitus vidit etiam beatissimi seculi sub Nerva

ortum felicitatemque temporum, quam Nerva Traianus quotidie augebat (cf. Tac. Agr. c. 3). Cuius certe seculo propria quasi tranquillitas ista, qua Caesari omnes et senatui parere convenientissimum putarunt [cf. Plin. Ep. ad Tr. III (XX) 2]. Quod ipsum otium civitati partum non solum haec ut recrearetur, sed etiam litterae ut in meliorem laetioremque statum redirent, effecit, ita ut Plinius non dubitaret contendere: „Si quando urbs nostra liberalibus studiis floruit, nunc maxime floret" (Ep. I, 10, 1). Hac ideo potissimum aetate quem vitae cursum Suetonius confecerit, iam accuratius videamus.

Et quidem etsi confitendum nobis, non constare, quibus conditionibus pueritiam atque aetatem iuvenilem egerit, licet tamen hac in re disquirenda ad summam fere probabilitatem pervenire. Utramque enim, ut ex ipso illo vitae Dom. loco, quem supra dixi (c. 12), concludi posse videtur, Romae degebat haud dubie ad graecas et latinas litteras incumbens. Educatio institutioaue litterarum, quae ipso obtigerunt, eae utique fuerint, quibus omnino eo tempore iuventus Romana non infimo loco nata uti solebat (cf. Bernh. hist. litt. Rom. ed. III. p. 68 sqq.) Continet eius de grammaticis libellus quum alia multa, quae ad cognoscendam eruditionem eo tempore usitatam sunt aptissima, tum id memoratu maxime dignum, Suetonio adolescentulo exstitisse aliquem grammaticum, qui more rhetorum declamandi et disputandi simul institueret exercitationes ipsumque demum Suetonium consuetudinem omitti vidisse, secundum quam grammatici quamquam iam discretis grammatices et rhetorices professionibus, nihilominus vel retinuerant vel instituerant et ipsi quaedam genera institutionum ad eloquentiam praeparandam, ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur (de gramm. c. 4). Atque etiam „memoria patrum" si, quod ad pueros attinet, quidam e grammatici statim ludo in forum transierant, Tranquillus iam „audiebat" tantum hac de studiorum contentionumque vice. Videtur is ex more temporum, quae vidit, e grammatici in rhetoris abiisse scholam ibique quum discipulus tum auditor declamationibus tempus atque operam impendisse. Etenim quamquam quos frequentaverit praeceptores ignoramus, declamasse eum quum per se probabile est, quia temporibus illis, ut Quintilianus ait (II, 7, 1), patres ita demum studere liberos suos, si quam frequentissime declamaverint, crediderunt, tum Plinii loco effici videtur (Ep. I, 24, 4), quo „scholasticis dominis" hic Suetonium annumerat. Erat enim scholastici, ut inter omnes constat, appellatio et studiosorum, qui in schola alicuius rhetoris versabantur et ipsorum rhetorum[11]) sive professorum[12]) eloquentiae, qui in in scholis tantum declamantes a foro abstinebant.[13]) Ut igitur Plinius de Isaco rhetore Ep. II, 3, 5: „annum, inquit, sexagesimum excessit et adhuc scholasticus tantum est" eumque sic sibi

venuste opponit: „Nos (enim) qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiae, quamvis nolimus, addiscimus“ iam addens „Schola et auditorium et ficta causa res inermis innoxia est, nec minus felix, senibus praesertim“ sic etiam Suetonium haud dubie inter alterum hoc scholasticorum genus retulit, „quo genere hominum nihil aut sincerius aut simplicius aut melius“ (Plin. l. l.). Sin autem provectiore etiam aetate declamavit aut declamationibus interfuit auditor, non potest esse dubium, quin ipse adolescens non modo artis declamatoriae praecepta didicerit, verum etiam usu eam exercuerit. Sed etiam in foro, ut videtur, Suetonius se expertus est. Quum enim Plinio, qui erat aetate ei suppar, scripsisset aliquando, se perterritum somnio vereri, ne quid adversi in actione patiatur, eaque de causa rogasset illum, ut dilationem peteret et pauculos dies, certe proximum, excusaret, Plinius id difficile esse, sed se experturum rescripsit et postquam quid sibi in causa Juni Pastoris agenda evenisset, narravit, addit: „Est (enim) sane alia ratio tua, alia mea fuit. Nam iudicium centumvirale differri nullo modo, istud aegre quidem, sed tamen potest“ (Ep. I, 18). Quibus verbis manifesto iudicio centumvirali, quod Ep. VI, 12, 2 arenam suam vocat, iudicium opponitur privatum. Quapropter etsi scholasticus a Plinio nominatur, eo minus certe Suetonium causis forensibus quoque nonnunquam operam navasse contendere dubites, quod id fuisse etiam scholasticorum, Quintiliani locus (XII, 11, 16) planissime demonstrat. At Plinius si anno aetatis undevicesimo in foro dicere coepit (Ep. V, 8, 8) illamque Juni Pastoris causam annos XXI natus egit (cf. Massoni vit. Plin. p. 46), Suetonium, si quidem a. 65 vel 66 p. Chr. hunc natum esse nobiscum consentis nullamque Plinii epistolarum ante natalem tricesimum sextum, id est annum nonagesimum octavum p. Chr. scriptam esse Massono concedis, ipsam illam, quae Plinii epistola intelligenda sit, actionem non ante tricesimum secundum aetatis suae annum habuisse statuendum. Qua re nescio an perspicuum fiat, quomodo primum statim hoc eius timori Plinius opponat: „eram acturus adolescentulus adhuc.“ Verum cum hoc Suetonius non modo mutuum epistolarum habuit usum, sed etiam in consuetudinem eius ac familiaritatem insinuaverat. Quae res sine dubio Vossium movit, ut ille quum Cisalpinus fuerit, Suetonium quoque fuisse Cisalpinum existimaret (de hist. lat. I, 31). Nec tamen videtur hoc contendi posse, quia non nisi contubernalem suum Plinius hunc appellat (Ep. I, 24, 1), Romatio Firmo contra „Municeps tu meus et condiscipulus et ab ineunte aetate contubernalis“ scripsit (Ep. I, 19, 1) itemque Voconium Romanum [Ep. ad Fr, IV. (X, 3) 1] ab ineunte aetate condiscipulum et contubernalem (cf. Ep. II, 13, 5: hunc ego, cum simul studeremus, arte familiariterque dilexi: ille meus in urbe, ille in secessu contuber-

nalis) expresse vocavit. Profecto is non prius, ut opinor, Tranquillum „in contubernium adsumpsit“ [14]) (Ep. ad Tr. 94, 1), quam ut ipse scribit l. l. „et mores eius secutus et studia.“ Quia vero dum contubernales illi erant, minus certe opus fuisse videtur epistolis, non dubito, quin ante Plinii ad Suetonium epistolas contubernium illud iam antecesserit, quamquam sane possunt etiam inter hoc ipsum eae conscriptae esse. Sine dubie enim id eo saepius interruptum ac sublatum, quod Suetonius aeque ac Plinius more temporum nonnunquam in agro vitam egerit (qua de re vide infra). Nimirum epistolae tum ipsius contubernii vice functae sint multoque plures facile credas a Plinio et Suetonio invicem scriptas, quam ab illo posteritati sunt traditae. Nam prosequebantur hi mutuo sese amore [Ep. V, 10 (11), 3] nec modo alter alterius ex operibus voluptatem percipere consectabatur (l. l.), sed consilio etiam laetatus est, quod vel in rebus minoris momenti expetebatur (cf. Ep. I, 18, IX, 34). Impetravit Plinius Suetonio et ius trium liberorum [15]), quo ipse etiam Julii Serviani precibus erat impertitus (Ep. ad Tr. 2) quodque Tranquillo erat beneficium a Caesare petendum, quod, ut ipsis Plinii verbis utar, fortunae malignitas denegarat [Ep. ad Tr. 94 (X, 55) 2], et a Neratio Marcello tribunatum militum (Ep. III, 8). Verum ius illud quoniam ex parte viam demum paravit ad munera publica, quemadmodum Voconio Romano prius ex Traiano ipsum (a. 98 p. Chr.) Plinius impetravit (cf. Ep. II, 13, 8), quam „Prisco Suo“ exornandum eum (scil. teibunatu militum) commendavit (epist. l.), sic etiam Suetonio tribunatum, postquam ius illud erat ei tributum, contigisse facile concedas. Quamquam igitur opus non esti inter utrumque longum temporis spatium interfuisse statuas (nam quod ad Voconium Plinius II, 13, 8: „nuper, inquit, ab optimo principe trium liberorum ei ius impetravi“ iam ipsum, ut diximus, exornandum petens), tamen Epist. ad Traianum 94 huiusque responsum (Ep. 95) epist. lib. III. octavam videntur antecedere. Sed illam Plinius ad Traianum dederat, quum in Bithynia legatus esset propraetor (94, 3: quod non rogarem absens), quod munus inde ab anno 103 p. Chr. per 18 menses administrasse creditur (Masson p. 130, Gierig Tom. I. p. XXXI). Ex quo sequitur ut non ante hunc annum ad Suetonium tribunatus videatur esse collatus. Quod munus statim in Caesennium Silvanum, propinquum suum voluit translatum (Ep. III, 8, 1). Verum Plinius quum scripserit Suetonio: „Mihi autem sicut iucundissimum, ipsum te tribunum, ita non minus gratum, alium per te videre“ et „Video etiam, cum sit egregium et mereri beneficia et dare, utramque te laudem simul assecuturum, si, quod ipse meruisti, aliis tribuas“ [16]) non potest esse dubium, Vossius (de hist. lat. I, 31) et Schweiger (de font. atque auct. Suet. Gotting. 1830 p. 4) quin erra-

verint contendentes, Tranquillum ipsum tribunum militum fuisse. Cui muneri fortasse (ut verbis Plinianis utar Ep. VII, 25, 2) tranquillissimum otium praeferens agellum istum emere voluit, in quo acquirendo Plinius eum adiuvit (Ep. I, 24). Nec profecto, hunc si emit, dubium quin illud, ut Plinius solebat (cf. Ep. IX, 6, 4), libentissime in litteris collocaverit, ita quidem ut „tranquillitati"[17]) huic nonnulla fortasse operum ipsius debeantur.

Ut vero ex Plinii ad Traianum Epist. 94 apparet, Suetonius uxorem quidem sibi adiunxerat, sed matrimonium expertus est parum felix. Cuius rei illud ipsum sola fortasse erat causa, quod nulla ei spes prolis. Profecto quum vel id ipsum ignoremus, quae fuerit, quam uxorem duxit, certi quid ea de re contendere velle ineptum iure videretur. Nec facile quis dicat, num illa eo usque inter vivos fuerit, quo tempore Suetonius magister epistolarum[18]) Hadriani imperatoris iniussu eius, ut Spartianus dicit (vit. Hadr. c. 11), apud Sabinam, Hadriani uxorem familiaribus se gessit, quam reverentia domus aulicae postulabat eamque ob causam a munere illo est amotus. Quod quia una ei accidit cum Septicio Claro, praefecto praetorii multisque aliis (Spart. l. l.), est sane manifestum, non singulare quoddam Suetonii crimen[19]) narratione illa subintelligi posse. Nimirum Hadrianus, quemadmodum antea „cum Attiani praefecti sui et quondam tutoris potentiam ferre non posset, nisus est eum obtruncare" deinde ab hoc quidem consilio revocatus „in Turbonem transtulit potestatem" (Spart. vit. Hadr. c. 9), videtur etiam hac tantum et talibus rationibus adductus „Simili, alteri praefecto, Septicium Clarum" (Spart. l. l.) atque huic rursus aeque ac Suetonio aliisque suum cuique dedisse successorem. Etenim idem vel etiam „de amicis, quidquid insusurrabatur, facile audivit" (Spart. l. l. c. 15) quumque Sabinam minime in amore haberet, eam „ut morosam et asperam dimmissurus, ut ipse dicebat, si privatus fuisset" (Spart. c. 11), haud scio an timor eum occupaverit, ne qui familiaritate cum hac contracta abuterentur eaque in conspirationem contra se abiret.[20]) Est ideo admodum probabile, simulatione tantummodo et nomine laesae erga domum aulicam reverentiae Suetonium nec minus ceteros munere orbatos esse, si quidem iis, nisi aliud quid spectasset, familiaritate illa Hadrianus interdicere vel alio modo potuit eam inhibere. At huic, ut videtur, suffecit certe, sic in Suetonium animadvertisse. Attinum enim (et Népotem) et Septicium Clarum ubi deinde (cap. 15) Spartianus ab Hadriano hostium loco habitos esse narrat multosque alios nominat, quos ille insecutus sit, non etiam Suetonii rursus mentionem facit. Jam vero ut ex epistolis suis Plinium, hac ex Spartiani narratiuncula cum Lydi (de magistr. II, 6) verbis comparata, ex quibus Septicio aeque ac Plinius Epistolas (cf. Gierig. ad. Ep. I, 18) opus

videtur dedicasse XII Caesarum vitas continens (qua de re suo loco accuratius disputandum), hunc ipsum Septicium Suetonii novimus amicum. Hadrianus autem quum non ante annum 138 diem supremum obierit, Suetonius, qui ex nostra sententia intra annos 63 — 68 natus est, quum e vita discessit ille, annum agens aut septuagesimum quintum aut certe septuagesimum haud facile sequentis sub imperio Caesaris munus administrasse credatur. Immo ad aetatem eum tam grandem pervenisse etsi ne certo quidem constat, tamen huius rei haud scio an testis haberi possit Fronto (Ep. ad Aurel. I, 10), qui dicens, ni fallor, de Suetonio Tranquillo Vero inter alia haec scribit: „Invenit (autem) me Tranquillus, cum frigeret" et „qui nisi sciret, quanto opere me diligeres, voluntarium hoc negotium sibi nunquam expetisset." Videtur enim hoc agi: quaesiverat aliquis ex Frontone, an videre (visere?) posset atque id quamquam fieri posse hic respondit, ille tamen succidaneum sibi paravit Tranquillum, quem etiam coenae succidaneum iam antea parasset aliquando. Jam vero Fronto: Mea, inquit, parum refert, quis me de caris tibi amicis diligat, nisi quod prior ratio est eius, qui minus est nostri fastidiosus. Deinde autem verba illa, quae supra repetii, scribit, in quibus id ipsum videtur voluntarium negotium quod sibi expetisset Suetonius, intelligere, quod succidanei illo munere hic functus sit, non sine magnis, ut videtur, itineris difficultatibus peracto. Quae res quomodocunque se habent, certe verba illa in medio non relinquant, Suetonium Frontoni, qui iam sub Hadriano haud erat invenis, non fuisse ignotum[21]) summoque ideo iure contendi possit summam illum adeptum esse senectutem, quamquam sane Niebuhrio concedatur, Hadriani temporibus, cum mondum a Pio adoptatus esset Marcus, singulare istud fragmentum adscribendum esse (Fronto ed. Nieb. Berol. 18A6 p. 16). Sit vero Suetonius eodem fere tempore mortuus, quo Hadrianus et quidem rectius si dicatur, post, non ante eius mortem. Quemadmodum enim de vita eius multa nos fugiunt, sic de morte nihil nobis compertum: decesserit eadem qua vixerit animi tranquillitate. At supremam vitae aetatem inde ab eo tempore, quo munere vacaverit, haud erret credo, qui existimat, praecipue eum conscribendis operibus impendisse. Atque hac in re qua usus sit industria, quam ipsam laudat Fronto (l. l.), facile intelligemus disceptantes.

II. De scriptis Suetonii.

Quot quosque libros Suetonius composuerit, primo obtutu, quoniam Suidas s. v. Τράγκυλλος indicem eorum exhibet, perfacile videtur quidem dictu, sed ut alia plurima, quae apud hunc leguntur, minime extra omnem dubitationem sunt posita, immo magis vel minus aperte falsi speciem prae se ferunt et suspectae sunt fidei,[22]) ita index ille

neque omnia Tranquilli opera complectitur, nec quae commemorantur ibi, tam accurate ac distincte significata sunt, ut non de unoquoque eorum his solum perpensis quid vere sentiendum, dubitatione possis aestuare. Quamquam igitur per se quidem opportunum videtur, in recensendis Suetonii scriptis sequi eum, necesse tamen et quomodo quae alii scriptores de istis in medium proferunt, cum hoc concinant, diligentissime examinare ipsumque iis deinde supplere librorum inscriptionibus, quorum aliunde Suetonium auctorem noscimus. Nominat vero Suidas haec illius opera:

(1). Περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν Βιβλίον α': De ludis Graecorum liber unus. Nimirum quae fuerint hoc libro quae continerentur, iam accuratius ex verbis apparet, quae apud Tzetzem leguntur Hist. Chil. VI, 875:

„Τράγκυλλος Σουητῖνός τις ἐν παιδιαῖς Ἑλλήνων
Πολλὰς μὲν ἄλλας παιδιὰς καί συμποσίων λέγει.
Ὧν συμποσίων μία μὲν ἡ ἑωλοκρασία·
Ἑτέρα δὲ ὁ κότταβος, ὁμοῦ καὶ ἡ λατάγη."

Videlicet ἑωλοκρασία[23]) et κότταβος[24]) aliique, quos Curtius[25]) saepius convivales dicit, ludi erant, quos Tranquillus libro laudato sibi proposuerat describere, quippe cuius descriptionem haud scio an Tzetzes versibusquiquos in medium protulimus, sequuntur, repetierit. Verum illam libri materiam etiam aliud fragmentum indicat. Haud dubie enim, ut cum Casaubono Meinekius[26]) una mente et voce consensit, ὁ τὰ περὶ Ἑλληνικῆς παιδιᾶς γράψας, quem dicit Eustathius in Odyss. A. V. 107 nemo nisi Suetonius est. Quodsi pergit iste sic: „διαφορὰν καὶ αὐτός εἰδώς κύβων καί πεσσῶν καὶ παλαιοιάτην εἰπὼν τὴν κυβευτικὴν παιδιάν, παράγει Σοςφοκλέους μὲν ἐκ Παλαμήδους τὸ Οὗτος ἐφεῦρε πεσσοὺς κύβους τε τερπνὸν ἀργίας ἄκος καὶ Εὐφορίωνοτό Πεσσὰ Ναυπλιάδαο" his verbis de κυβείᾳ καὶ πεττείᾳ Tranquillum opusculo suo exposuisse docemur. Vel etiam quod fuerit huius consilium, quae ratio licet inde colligere. Non potest enim esse dubium, quin originem atque ut ita dicam, historiam ludi cuiusque Tranquillus enarraee (παλαιοτάτην εἰπὼν τὴν κυβευτικὴν παιδιάν) et grammatici more rerum verborumque inter se discrimen (διαφορὰν) subtillissime definire studuerit. Ut vero ludos illos ipse fortasse in itineribus visu cognoverat, ita exemplis, quibus Eustathio teste ad probandum quod protulit discrimen usus est, satis superque quod in vita eius diximus, confirmatur, graecis quoque litteris eum operam dedisse iisque admodum fuisse imbutum.[27]) Fuerit autem, ut deinde probare conabimur, de ludis Graecorum libellus cum aliis duobus, quos secundo loco Suidas commemorat, coniunctus:

(2). Περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις θεωριῶν καὶ ἀγώνων Βιβλία β′: Libri duo de spectaculis et certaminibus Romanorum. Quos ad libros, quibus nescio an Sinnii Capitonis[28]) libros spectaculorum[29]) Suetonius adhibuerit, admodum probabile est verba spectare Servii ad Virg. Georg. III, 24: Apud maiores theatri gradus tantum fuerunt. Nam scena de ligno tantum ad tempus fiebat, unde hodieque permansit consuetudo, ut componantur pegmata a ludorum theatralium editoribus. Scena autem, quae fiebat aut versilis erat, aut ductilis.[30]) Versilis tunc erat quum subito tota machinis quibusdam convertebatur et aliam picturae faciem ostendebat. Ductilis tunc, quum tractis tabulatis hac atque illac species picturae nudabatur interior. Unde perite utrumque tetigit (Virg.), Versis discedat frontibus, singula singulis complectens sermonibus. Quod Varro et Suetonius commemorant, et ejusdem ad Aen. V, 602: „Ut ait Suetonius Tranquillus, Lusus ipse, quem vulgo Pyrricham appellant, Troia vocatur: cuius originem expressit in libro de puerorum lusibus.“ Nam coniecit quidem Casaubonus, pro „puerorum“ hoc loco legendum esse „Graecorum,“ sed videtur haec coniectura ea de causa spernenda, quod Troia Roman. non Graecorum atque ut ex Virg. Aen. V, 545—604 ac Pauli Diaconi s. v. Troia verbis patet, non nisi ipsorum puerorum erat lusus.[31]) Quam ob rem equidem suspicor, altero illius de spectaculis et certaminibus Romanorum opusculi libro Suetonium iuvenilis, altero aetatis virilis ludos pertractasse rectissimeque ideo Servii verba se habere, prioris ut singularis mentionem facientis. Atque ad hunc vel ad illum sint etiam verba referenda commentatoris veteris ad Hor. Sat. I, 7, 20: „Bithus et Bacchius[32]) gladiatorum nomina celebrata apud Suetonium.“ Quo ex dicto concludimus, Suetonium in libris illis simul et de certaminibus gladiatoriis disputasse. Quodsi hic Romanorum ludos publicos, ut Troiam et certamina gladiatoria ad cognitionem vocavit, iam nun dubito equidem, quin etiam illo de Graecorum ludis libro munera enarraverit, quae Herodotus (V, 102) vocat ἀγῶνας στεφανηφόρους Nam ut taceam, ea quoque munera voce, qua Suidas utitur (παιδιαὶ) subintelligi posse (discernuntur exempli gratia Arist. Rhet. I, 11, 3 μαχητικαὶ, αὐλητικαὶ ἐριστικαί) erat, ut arbitror, unus ille liber cum aliis duobus item coniunctus, ut partes unius amplioris operis, neque ideo partes inter se tam dispares fuisse credas, quam quae maxime, si modo Graecorum ludos, quos diximus, convivales Suetonius recensuisset. Enimvero totum opus inscriptum esse videtur:

1. „Historia ludicra." Dicit enim Gellius Noct. Att. IX, 7, 3 haec: „Sed de fidibus rarius dictu et mirabilius est; quam rem et alii docti viri et Suetonius etiam Tranquillus in libro ludicrae historiae primo satis compertam esse satisque super ea constare adfirmat: nervias in fidibus brumali die alias digitis pelli, alias sonare." Quibus verbis manifesto opus dicitur, quod pluribus[33]) e libris constiterit. Haud facile igitur cum Suidae verbis ista consociare possis, nisi historiam ludicram ex tribus illis libris, quorum unus de Graecorum, duo de Romanorum ludis erant, constitisse nobiscum censeas. Et recte quidem Gellius hoc opus „historiam" vocaverit. Etenim si in prima eius parte Tranquillus ludorum originem videbatur nobis exposuisse, Servius in iis, quae de Troia lusu in medium protulit, ipse: cuius originem, ait, expressit seqq. Verum in historia ludicra, in qua artis musicae quoque Suetonium rationem habuisse ex ipso Gellii loco colligimus, legebantur etiam, ni fallor, quae scripsit Diomedes Grammat. lib. III c. 9: „Primis temporibus, ut adserit Tranquillus, omnia quae in scena versantur, in comoedia agebantur. Nam pantomimus et pithaules et choraules[34]) in comoedia canebant. Sed quia non poterant omnia apud omnes artifices pariter excellere, si qui erant inter actores comoediarum pro facultate et arte potiores, principatum sibi artificii vendicabant. Sic factum est, ut, nolentibus cedere mimis in artificio suo ceteris, separatio fieret reliquorum. Nam dum potiores inferioribus, qui in omni ergasterio erant, servire dedignabantur, se ipsos a comoedia separaverunt: ac sic factum est, ut exemplo semel sumpto unusquisque artis suae rem exequi coeperit, neque in comoediam venire. Cuius rei indicia produnt nobis antiquae comoediae, in quibus invenimus, acta tibiis paribus aut imparibus, aut sarranis. Quando enim chorus canebat, choricis tibiis, id est choraulicis, artifex concinebat in cantico autem pithaulicis responsabat. Sed quod paquibus tibiis, vel imparibus[35]) invenimus scriptum, hoc significat, si quando monodio agebat, unam tibiam inflabat, si quando synodio utrisque." Nec minus sit denique idem ad opus Tertulliani illud de spectaculis cap. 5 referendum: „Et quibus idolis ludos instituerint, positum est apud Suetonium Tranquillum, vel a quibus Tranquillus accepit." Quamquam vero Suetonii nomen in iis tacuit, non modo quae ista antecedunt: „Romulus Jovi Feretrio ludos instituit in Tarpeio, quos Tar-

peios dictos et Capitolinos Piso tradidit.[36]) Post hunc Numa Pompilius Marti et Robigini fecit (nam et robiginis deam finxerunt)[37]), dehinc Tullus Hostilius, dehinc Ancus Martius et ceteri quoque per ordinem" sed etiam alia plurima Tertullianum eadem de re scribentem ex Suetonii opere decerpsisse verisimillimum est. Quo ex genere videntur haec potissimum notanda:

de spectac. c. 3: „Vias (enim) et cardines vocant balteorum per ambitum et discrimina popularium per proclivum. Cathedra quoque nominatur ipse in anfractu ad consessum situs."

c. 5: „Lydos ex Asia transvenas in Etruria consedisse Timaeus refert, duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat regni contentione."

Ibid. „Inde Romani arcessitos artifices mutuantur, tempus, enunciationem, ut ludi a Lydis vocarentur. Sed etsi Varro ludos a ludo, id est a lusu interpretatur, sicut et Lupercos ludios appellabant, quod ludendo discurrant, tamen eum lusum iuvenum et diebus festis et templis et religionibus reputat." [38])

Ibid. „cum promiscue ludi Liberalia vocarentur[39]), honorem Liberi patris (manifeste) sonabant.[40]) Libero (enim) a rusticis primo fiebant ob beneficium quod ei adscribunt, demonstrata gratia vini. Exinde ludi Consualia dicti, qui initio Neptunum honorabant. Eundem enim et Consum vocant. Dehinc Equiria Marti Romulus dixit, quamquam et Consualia Romulo defendunt, quod ea Conso dicaverit deo, ut volunt, consilii[41]), eius scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitavit." [42])

cap. 6: „Megalenses enim et Apollinares idem Cereales et Neptunales et Latiares et Florales in commune celebrantur."

cap. 6: „a primordio bifariam ludi censebantur, sacri et funebres."

cap. 7: „circensium paulo pompatior suggestus, quibus proprie hoc nomen pompa, praecedens, quorum sit in semetipsa probans de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de tensis, de aramaxis, de sedibus, de coronis, de exuviis."

cap. 8: „circus Soli principaliter consecratur, cuius aedis medio spatio et effigies de fastigio aedis emicat, quod non putaverunt sub tecto consecrandum quem in aperto habent.[43])

Ibid. Singula ornamenta circi singula templa sunt. Ova honori Castorum adscribunt (qui illos ovo editos credendo de cygno Jove non erubescunt.[44]) Delphines Neptuno vomunt. Columnae Sessias a sementationibus, Messias a messibus, Tutulinas a tutelis fructuum sustinent. Ante has tres arae trinis deis parent: Magnis, Potentibus, Valentibus."

Ibid. „ea (itaque) (sc. Mater magna) illic praesidet euripo. Consus (ut diximus) apud metas sub terra delitescit Murcias. Murciam (enim) deam amoris volunt, cui in illa parte aedem vovere."

cap. 9: „Castori et Polluci — equos a Mercurio distributos Stesichorus docet. Sed et Neptunus equestris est, quem Graeci Ἵππιον appellant. De iugo vero quadrigas soli, bigas lunae sanxerunt.“ [45])

Ibid. „Erichthonius Minervae et Vulcani filius.“ [46]) (Si vero) Trochilus Argivus auctor est currus primi, Junoni id opus suum dedicavit. (Si) Romae Romulus quadrigam primus ostendit.“

Ibid. „initio duo soli fuerunt (sc. equi), albus et russeus. Albus hiemi ob nives candidas, russeus aestati ob solis ruborem voti erant. (Sed) postea russeum alii Marti, alii album Zephyris consecraverunt, prasinum vero Terrae Matri vel Verno, venetum [47]) Caelo et Mari vel Autumno.“ [48])

cap. 10: „ad scenam a templis et aris et illa infelicitate thuris et sanguinis inter tibias et tubas itur, duobus (inquinatissimis) arbitris funerum et sacrorum; designatore [49]) et haruspice.“

Ibid.: „theatrum proqrie sacrarium Veneris est.“

Ibid.: „Pompeius Magnus Veneris aedem superposuit et ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit, Cui subiecimus, inquit, gradus spectaculorum.“

Ibid.: „Veneri et Libero convenit.“

Ibid.: „quae privata et propria sunt scenae, de gestu et corporis fluxu mollitiam Veneri et Libero immolant, illi per sexum, illi per fluxum dissolutis: quae vero voce et modis et organis et lyris transiguntur, Apollines et Musas et Minervas et Mercurios mancipes habent.“ [50])

c. 11: „Olympia Jovi, quae sunt Romae Capitolina [51]), item Herculi Nemea, Neptuno Isthmia, ceteri (mortuarii) agones.“

Ibid: „pro collegio artium Musicarum et Minervalium et Apollinarium, etiam Martialium per duellum, per tubam in stadio circum aemulantur.“

c. 12: „Martem et Dianam utriusque ludi praesides novimus.“

Nimirum loco illo ex cap. 5 sumpto Varronis Tertullianus mentionem fecit eaque de causa hunc eo auctore usum esse eo facilius quis censeat, quod in libro ad nat. II antiquitates eius rerum divinarum tam presse secutus est (cf. l. l. c. 1: „elegi ad compendium Varronis opera, qui rerum divinarum et omnibus retro digestis commentatus idoneum se nobis scopum exposuit“), ut singulis iis refutandis quas singulas partes opposuerit, dignosci possit (cf. Gothofr. ad l. l. in ed. Oehleri T. I p. 350 not. k). Profecto tres operis illius libri, quos Varro „de temporibus“ scripserat, „de feriis, de ludis circensibus, de scenicis“ erant (August. de civit. dei 6. 3). Sed nihil ille de agonibus et de ludis funebribus [52]), quibus Tertullianus [53]) in libello locum dederat plane omittens „de feriis“ disputationem. Neque etiam Tertulliano, si usus esset Varronis antiquitatibus, fuisset, ut videtur, unde

„origines, titulos, apparatus" spectaculorum cognovisset. Varro enim ut in antiquitatibus rerum humanarum „intendit, qui agant, ubi agant, quando agant, quid agant" sic in antiq. rerum divinarum sacra „qui exhibeant, ubi exhibeant, quando exhibeant, quid exhibeant" (August. l. l.) exposuit.[54]) Denique non omittendum, nullum inter Tertulliani librum et Varronis antiq. fragmenta a Merkelio (in ed. Ovid. Fast. § 4) edita similitudinem intercedere, si quidem qui in nono potissimum decimoque earum libro (erat enim ille de ludis circens., hic de scenicis) similia exspectaret, nihil absoni faceret. Quae quum ita sint, Tertullianus videtur sane in libro de spectaculis condendo Tranquillum „idoneum sibi scopum exposuisse" qui ipse haud dubie (quod Tertullianus ignoravit scribens c. 5: „vel a quibus Tranquillus accepit") „historiam ludicram" conscripsit Varronis utens „de scenicis originibus" et „de actionibus scenicis" [55]) necnon, ut supra diximus, Sinnii Capitonis spectaculorum libris.

Quod si proprabiliter est a nobis disputatum, vel etiam ex compositione libri Tertulliani de operis Suetoniani indole nonnihil licet augurari. Profecto non solum ludos circenses et scenicos, vere publicos cavea circoque divisos (Cic. de legg. II, 15, 38), sed etiam agones diis nationum institutos (cf. Tertull. de spect. c. 11) et funebres illos quorum ex cultu, quem apud Etruscos habuerant, Romae exorti sunt gladiatorii in amphitheatris celebrati, Suetonius haud dubie opere suo exsecutus est omnium eorum origines, titulos (quibus idolis ludos instituerint, Tertull. l. l. c. 5, cf. c. 6: formam originis de titulis praeferens per quos signatum est, cui idolo notarentur) apparatus, locos, artes quam accuratissime illustrans.

2. Περὶ τοῦ κατὰ Ῥωμαίους ἐνιαυτοῦ Βιβλίον ά: Liber unus de anno Romanorum. Ex quo putaverim ducta esse verba Censorini de die nat. cap. XX.: „Annum vertentem Romae Licinius quidem Macer et postea Fenestella statim ab initio duodecim mensum fuisse scripserunt, sed magis Junio Gracchano et Fulvio et Varroni et Suetonio aliisque credendum, qui decem mensum putarunt fuisse." Quod Censorini indicium probandum esse iam inter omnes constat. Licinium enim simulque cum eo Fenestellam errasse, cum alii, tum Krausius docuit (Vitae et fragm. vet. hist. Rom. Berol. 1833 p. 236), qui quod ad Licinium attinet, adscripsit fragmentum illud annalium ipsius libro primo (l. l. p. 238), inter Junii Gracchani autem fragmenta duo ex Censor. cap. 20 et 22 decerpta exhibuit (l. l. p. 221), ex quibus, quae Gracchanus et Fulvius [56]) censuerint, accuratius intelligitur. Sed ad Suetonium ut revertamur, a veritate certe non videtur abhorrere, hunc ea, quam Caesarem novam edidisse (Suet. Caec. 40), Augustum redintegrasse

(Aug. 31) narrat, anni ordinatione sollicitatum esse ad rem ab ultimo initio investigandam exponendamque.

3. Περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων α': De notis in libris liber unus. Nimirum haud incommode ἐν τοῖς βιβλίοις dicitur. Non est enim illud per notas scribendi genus intelligendum, cuius Tironem dicunt inventorem, Valerium Probum haud scio an dicere possis auctorem memoratu maxime dignum[57]), sed notae a criticis in libris adhibitae[58]), quales asteriscus, obelus, limniscus, antisigma, diple, ceraunium aliae (cf. Isid. Hisp. I, 21). Erat igitur libellus iste haud dubie eundem in modum compositus, quo inter Graecos Diogenes Cyzicenus (cf. Suid. s. v.) ea de re librum, Hephaestion in fine enchiridii caput περὶ σημείων, Aristonicus grammaticus Alexandrinus περὶ τῶν σημείων ἐν τῇ Θεογονίᾳ Ἡσιόδου καὶ τῶν τῆς Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας (cf. Suid. s. v. Ἀριστόνικος), Diogenes Laertius denique (III, 65) de notis scripserat, quibus critici in editionibus Platonis usi sint. Verum Suetonii libellum fontem fuisse Anecdoti Parisini Bergkius docuit.[59]) Necnon ipsi Suetonio Diogenem Cyzicenum, quem supra dixi, auctorem fuisse prorsus incredibile est, si quidem hic, ut cum Bernhardyo (cf. Suid. l. l.) inclinato ad credendum sum animo, idem est ac Διογενειανός, Ἡρακλείας Πόντου γραμματικός, qui γεγονὼς καὶ αὐτὸς ἐπὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως vel eodem tempore quo Suetonius vixit. Unde extremis vitae annis libellum de notis a Suetonio scriptum esse facile posses colligere.

4. Περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας α': De republica Ciceroniana liber unus. Adiecit Suidas inscriptioni haec: Ἀντιλέγει δὲ τῷ Διδύμῳ. Scripserat enim Suetonius adversus Didymum grammaticum[60]), qui ut patet ex loco illo Ammiani Marcellini lib. XXII, 16, 16: „Chalcenterus Didymus, multiplicis scientiae scriptis memorabilis, qui in illis sex libris, ubi nonnunquam imperfecte Tullium reprehendit, sillographos imitatus scriptores maledicos, iudicio doctarum aurium incusatur“ seqq. Ciceroni obtrectaverat, quam contra obtrectationem Suetonius Ciceronem defendisse putetur. Qua in re fortasse Aper, sive, ut Bergkius[61]) probabiliter coniecit, Asper ei praeivit, quem contra Heraclides Ponticus (cf. Suid s. v.) Λέσχας scripsit. Hic enim quoniam ἤκουσεν Ἄπερος et Διδύμῳ τῷ πάνυ κατὰ τὴν Ἀλεξανδρέων ἐφοίτησεν (Suid. l. l.), Didymo circa annum 30 ante Chr. natum vivente (Suid. s. v. Δίδυμος: γεγονὼς ἐπὶ Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος καὶ ἕως Αὐγούστου) Asperum aequalem Heraclidis fuisse et utrumque Augusti temporibus vixisse cuivis patet. Neque huic ratiocinandi modo ipsa Suidae verba de Heraclide ita pergentis: „εἰς Ῥώμην δὲ κομίσας καὶ τοῦ Ἄπερος καταφανείς, κατέμεινε σχολαρχῶν ἐν αὐτῇ ἐπὶ Κλαυδίου καὶ Νέρωνος repugnant. Etsi vero vel eadem de re, de qua Suetonius, non ideo scripto etiam, sed ser-

mone potius (Suid. διασύροντος) Asperum Didymo se opposuisse est fere verisimilius. At enim Tranquillus si Ciceronis defensionem adversus Asinii Galli libros [62]) ab imperatore Claudio scriptam „satis eruditam" dicit (Claud. 41), numquid quam ipse concepit, defensio minus erudita fuerit?

5. Περὶ ὀνομάτων κυρίων καὶ ἰδέας ἐσθημάτων καὶ ὑπὸ δημάτων καί τῶν ἄλλων οἷς τις ἀμφιέννυται: De nominibus propriis et formis (generibus) vestium, calceamentorum ceterorumque, quibus induimur. Sic enim Suidae verba intelligas equidem utique opus esse arbitror. Contra Bernhardyus, quocum ex optimis codicibus (Paris. a et Leidensi, necnon ex altero cod. Paris., qui sane „nihil aliud nisi supplementum bonorum librorum praebet" Bernh. Prol. ad Suid. p. LXXXVI) ἰδέας pro scriptura cod. Bruxellensis ἰδίων recepimus, ita statuit: „κυρίων huc non videtur quadrare: nisi forte singulares libros distinguimus hosce: Περὶ ὀνομάτων κυρίων. Περί δυρφήμων λέξεων. Περὶ ἰδέας ἐσθημάτων κτλ., de re vestiaria." Jam vero Graefenhanius [63]) Suidae verba et sic intelligens „Τράγκυλλος — περὶ ὀνομάτων κυρίων καὶ ἰδεῶν, 'Εσθημάτων κτλ., Περὶ δυρφήμων λέξεων κτλ." et ita rursus [64]): Τράγκυλλος — περὶ 'Ονομάτων κωρίων καὶ ἰδιῶν (lege aut ἰδίων aut ἰδεῶν) ἐσθημάτων καὶ — ἀμφιέννυται, Περὶ δυρφήμων λέξεων κτλ. Suetonium de nominibus propriis scripsisse eiusque quidem scripti aeque atque eorum, quae deinde Suidas dicat, inscriptionibus: de vestimentis et de vocibus ominosis non libros, sed capita significari putavit operis quod, ut infra videbimus, Charisio teste „de rebus variis" fuisset. Nimirum neque quid ideo de verbis „καὶ ἰδεῶν" (ἰδίων) sentiendum sit et quo pacto praepositio περὶ ante ἐσθημάτων omitti possit neque quo iure ex altera scriptura (qua quidem ἐσθημάτων non 'Εσθημάτων legitur) post ἰδίων comma ponatur et qua tandem ratione tum singula inter se cohaereant, exposuit. Neque etiam Bernhardyus, ut nihil dicam de inverso quem instituit inscriptionum ordine [65]) quo iure ante ἰδέας praepositio περὶ ponatur, docuit. Quamvis igitur id quidem sit huic concedendum, vocem κυρίων non videri esse eius loci immo hoc vel illud fortasse vitium ei subesse, minime tamen de nominibus propriis Suetonium scripsisse statuendum videtur. Profecto duo tantum a Suida significari puto Suetonii opera, quorum alterum de vestimentis, alterum de vocibus ominosis fuerit. Illud vero, ut Suidas fusius, Servius ea, quam ex illius verbis notionem posssis fere eximere primariam (περὶ ἰδέας ἐσθημάτων), significare mihi videtur dicens ad Virg. Aen. VII, 612: „Suetonius in libro de genere vestium dicit tria esse genera trabearum. [66]) Unum diis sacratum, quod est tantum de purpura. Aliud regium, quod est purpureum: habet tamen album aliquid. Tertium augurale de purpura et

cocco mixtum."[67]) Quo loco librum de vestimentis a Suetonio compositum esse tam aperte dicitur, ut quomodo Graefenhanius, qui loci illius non erat immemor, negare id potuerit, omnino non intelligas nisi forte hunc ea re ad sententiam istam adductum esse putas, quod Suidas ad duo illa scripta quot ex libris constiterint, omisit annotare. Recte vero vir ille doctus animadvertisse videtur, Suetonium non ita de re vestiaria scripturum, quam quasi indicem potius vestimentorum exhibiturum fuisse,[68]) haec quomodo inter se differant, breviter notantem. Nimirum id quum fragmentum, quod supra ex Servio laudavimus, tum alius eiusdem scriptoris locus satis dilucide probat ex eodem, ut opinor Suetonii de genere vestium libro petitus. Nam in eo quidem quemadmodum tria trabearum, ita etiam tria enarraverit genera pileorum, quae ita eum distinxisse Servius ad Virg. Aen. II, 683 contendit: „Suetonius tria genera pileorum dixit, quibus sacerdotes utuntur, apicem, tutulum, galerum: sed apicem[69]) pileum subtile, circa medium virga eminente: tutulum,[70]) pileum lanatum, metae figura: galerum,[71]) pileum ex pelle hostiae caesae." Quod fragmentum iam Scaliger in commentario ad Pauli Diaconi Excerpta s. v. Albogalerus Suetonii de genere vestimentorum libro non dubitavit adscribere. Quamquam hoc ipso loco, ut Lindemannus[72]) animadvertit, „Sytonius," altero loco (ad Aen. VII, 612) „Sitonius" apud Servium legitur, qua de causa is opusculum „de re vestiaria" Suetonio abiudicans Sitonio vel Sithonio alicui adscribendum esse censuit. Sed nihil ille de Suidae testimonio. Ad quod accedit, quod scriptor iste nusquam alibi, quod sciam, nominatur,[73]) Isidorus contra Hispalensis, quem saepius Servio auctore usum esse constat, in iis quoque sequi eum videtur, quae dicit Orig. XIX, 30, 5: apex est pileum subtile[74])... galerum pileum ex pelle caesae hostiae factum." Nam Grialius quidem haec verba statuens ex Festo desumta esse[75]) haud dubie erravit, quum apud Festum nullum eiusmodi dictum inveniamus. Verum Isidorus verba: „apex est pileum subtile" ex loco quem supra diximus Servii sumserit, quibus ipse deinde „quo sacerdotes gentiles utebantur" ac denique ex alio Servii loco[76]) etymologiam vocis apex adderet: „appellatus ab apiendo, id est a ligando" seqq. Etenim Isidorus si ipsum Suetonium excerpsisset, non modo, ut alibi, nomen eius protulisset — Servii contra nomen, quod saepissime eo uteretur auctore, quem ceteroquin facile cuivis liceret adire, silentio omittens — sed etiam tutuli explicationem non omisisset. Atque est profecto propter tempora quoque, quibus vixit, Isidorus, multo verisimilius, hunc Servii quam Suetonii (de genere vestium) commentarium vidisse, quamquam sane aliud huius opus adhibuisse eum in sequentibus demonstrabimus.[77]) Ex illo vero quod

Nonius, qui cap. XIV. et cap. XVI. de genere vestimentorum scripsit, nullum exhibuit fragmentum, iure miramur, nisi forte hoc auctore celato factum esse coniicis.[78])

6. Περὶ δυςφήμων λέξεων ἤτοι βλασφημιῶν καὶ πόθεν ἑκάστη: de ominosis verbis et unde sint. Quod opus auctor Etymologici magni commemorat haec inde proferens: „Ἀρχολίπαρος ὁ λιπαρῶν ἵνα ἀρχῆς τύχῃ ἢ ἐκ τοῦ ἄρχειν λιπαινόμενος. Οὕτω Τράγκυλλος[79]) περὶ βλασφημιῶν.“ Est autem fragmenti huius indoles ea profecto, ut Torrentio non videatur assentiendum, qui in epistola, quam „Prunio Suo“ scripsit (ed. Suet. Antverpiae 1578), opus illud ad sacrorum ritus referri debere censuit nec minus ea quoque in re erraverit, quod pluribus ipsum ex libris constitisse putabat. Verum Preller hunc librum similem in modum, quo Polemonis ad anonymum epistolam περὶ ἀδόξων ὀνομάτων[80]) conscriptum similibusque in rebus ac commentarium Dorothei περὶ τῶν ξένως εἰρημένων λέξεων (Phot. Bibl. Cod. 156) versatum esse existimavit.[81]) Deinde Lobeckius eum de Euphemismo scribens[82]) suam in rem vertere studuit, tum alia ibi vocabula exposita esse censens, quae ab aurium approbatione abhorreant quaeque mitescere credantur adhibita quadam elementorum mutatione intestina (l. l. p. 308), tum illarum partium nomina, „quas sine venia nefas est ac sine honoribus appellare praefatis.“ Editores autem operum Suetonii ea, quae de tribus pileorum scripsit generibus, hoc in opere exstitisse putarunt atque ita certe quid vere de ipso senserint, ne suspicandi quidem fecerunt nobis potestatem. Quodsi igitur iam quid nobis videatur, licet proferre, haud inutile habemus reminisci ex Ciceronis loco de divin. II, 40, 83, fuisse apud Romanos[83]) omen, „si quis aliquid ex sua re atque ex suo sermone dixerit et eius verbum aliquod apte ceciderit ad id, quod ages aut cogitabis.“ Sic quidem non abfuit, quin verba nonnulla in perpetuum ominosa fierent eaque si omen erat minus faustum, omnes deinde aversarentur. Quum haec igitur, tum ea omnino verba Suetonius videtur sibi proposuisse explicanda, quae quia statum significarent extimescendum, ubi modo audiebantur, eo maiorem hominum animis formidinem iniiciebant, quo minus exspectabantur. Id enim aperte demonstrant verba Eustathii ad Il. ϑ' 488 (p. 725, 20), qui postquam exemplis comprobavit, voces cum τρὶς adverbio compositas idem saepius valere atque cum πολὺ coniunctas (τριςκακοδαίμων, τριςόλβιος) ita pergit: „τοιαῦτα δὲ καὶ ἅπερ τῶν τις παλαιῶν[84]) ἔθετο παραδείγματα βλασφημιῶν τῶν ἀπὸ ἀριθμοῦ, οἷον, τρισεξώλης ὁ πάνυ ἐξώλης καὶ τριπέδων ὁ πολλάκις πεδηθεὶς κακοῦργος δοῦλος ὃς καὶ πέδων πέδωνος ἐν ἁπλότητι λέγεται καὶ στίγον εἴτουν στιγματίας.“ Quibus verbis sine controversia Suetonium subintellexit, qui

ea, ex quibus exorta esset verbis vis ominosa (ut multis e. g. ἀπὸ ἀριθμοῦ), genera videtur adhibuisse, quibus illa ipsa comprehenderet atque in ordinem digereret. Nec profecto aut fuisse inter ea, quae ab hoc tractata diximus verba, aut accedisse ad ipsa quae a sacrorum ritu non prorsus essent aliena (ita ut ex parte quidem Torrentius verum dixisse videatur), negaverim. Quemadmodum autem Lavinius de verbis sordidis scribens (Gell. XX, 11, 1) ideoque voces quae ad mores pertinent[85]), sic Suetonius verba ominosa in indicem redigens, opus uterque haud dubie condidit, quod si exstaret, praestantissimum lexicorum auctoribus subsidium esset.

7. Περὶ Ῥώμης καὶ τῶν ἐν αὐτῇ νομίμων καὶ ἠθῶν βιβλία β': Libri duo de Roma eiusque institutis et moribus. Ex quibus quae Isidorus Hispalensis scribit Orig. XVIII, 2, 3: „Tranquillus autem triumphum latine dicit potius appellatum, quod is, qui triumphans Urbem ingrederetur, tripertito iudicio honoraretur" hausta esse Reinesius[86]) et Fabricius[87]) censuerunt. Jure tamen Bernhardyus hanc sententiam mirum commentum vocasse videtur (ed. Suid. s. v. Τράγκυλλος) aliumque re vera verbis illis locum assignandum esse in sequentibus ostendemus. Haud dubie vero Tranquillus illo opere Alexandri Polyhistoris (cf. Suid. s. v. Ἀλέξανδρος) περὶ Ῥώμης βιβλία πέντε aut excerpsit aut continuavit. Nam in illis quidem de legibus etiam urbis Romae sermonem fuisse, haud scio an inde liceat colligere, quod, ut ex Suida patet, vel de legum Hebraeorum auctore Alexander verba fecerat.

8. Συγγενικὸν Καισάρων· Περιέχει δὲ βίους καὶ διαδοχὰς αὐτῶν ἀπὸ Ἰουλίου ἕως Δομετιανοῦ βιβλία η': Libri octo de familia Caesarum. Quod opus etiam nunc est in manibus nostris atque ex eo maxime notitiam nostram auctoris petendam esse nemo ignorat, quamquam id simul satis manifestum, ob naturam suam atque indolem ad ea, quae ad vitam et mores Suetonii pertinent cognoscenda nihil fere illud nobis suppeditare. Licet enim inde cognoscas scriptorem, minime hominem, quo fuerit genere cursuque vivendi implicatus. Verum scriptor historicus quanti Suetonius sit aestimandus, quia alii iam docuere[88]) neque equidem singulas ad vitas una vel altera ex parte considerandas animum advertere mecum constitui, nonnulla potius, quae totum opus spectant, satis habeo commemorare.

Atque est quidem iam in priore huius scriptionis parte dedicationis mentio facta, quae vitas Caesarum haud dubie antecessit atque una cum iis, quae initio vitae Caesaris de gente Julia, de Caesarum familia ortuque ipsius Caesaris atque educatione[89]) scripta fuerint, in libris manuscriptis desideratur. Haec enim Lydus de magistr. II, 6 in medium protulit: „Τράγκυλλος τοίνυν τοὺς τῶν Καισάρων βίους ἐν γράμμασιν ἀποτείνων Σεπτιμίῳ, ὅς ἦν ὕπαρχος τῶν πραιτωριανῶν σπειρῶν

ἐπ' αὐτοῦ, πραίφεκτον αὐτὸν τῶν πραιτωριανῶν ταγμάτων καὶ φαλάγγων ἡγεμόνα τυγχάνειν, ἐδήλωσεν.“ Ac profecto neque est, quod faciat, ut aliter Lydi verba intelligenda videantur, quam de dedicatione, neque facilius quid fieri potuit, quam ut Septicii Clari, praefecti praetorii, de quo suo loco diximus, nomen cum „Septimii“ nomine commutaretur, quod ex aequalibus Suetonii fuisse cuiquam nullum reperire poteris vestigium. (Cf. Osann. ed Quintil. Gissae 1843 p. 20 et eiusd. Adnot. crit. in Quintil. Instit. Orat. lib. X Part. III Gissae 1845 p. 19, Niebuhr l. l. p. 28.) Certe Plinius minor eidem illi Septicio Epistolas dedicavit, quas ut colligeret publicaretque frequenter ille hortatus erat (Plin. epist. I, 1).

Commemoravit autem Suidas octo opusculi, de quo loquimur, libros. At profecto non est, qui non videat, quam facile ή cum ιβ' confundi potuerit; quam ob rem videtur sane in posterum quoque altera divisio, quae totidem fit libris, quot numerantur vitae, siquidem omnino libris opusculum dividere velis, longe praeferenda. Neque enim haec ipsa divisio per se admodum credibilis codicum caret auctoritate, immo favet ei codex Mediceus tertius (cf. Oudendorp. ad vit. Othon. cap. 1).[90])

Jam non adiuvamur quidem tam firmo argumento in disceptatione, quonam tempore vitae Caesarum a Suetonio sint conscriptae, sed nescio an nobis contingat iudicium hac de re facere, quod magis videatur probandum, quam quae adhuc ab eruditis sint prolata. Censuit enim Niebuhrius, prius illas, quam Taciti historiae in lucem prodierint, Tranquillum composuisse eundemque admodum iuvenem, antequam magistri epistolarum munere functus sit. Qua in re hoc ille utitur argumento: „Ich zweifle gar nicht, daß seine Lebensbeschreibungen der Kaiser vor der Bekanntmachung von Tacitus Historien geschrieben waren, denn sonst würde der Anfang von dem Leben des Vespasian kaum so schlecht sein können, als er ist.“[91]) Necnon distinctius haec alio loco[92]) ita prolocutus est: „Sein Werk fällt gewiß vor die Erscheinung von Tacitus Historien: hätte er diese vor sich gehabt, so hätte er die Anarchie nach Nero's Tode nicht so schlecht beschreiben können.“ Videtur igitur id vere Niebuhrius a Suetonio exegisse, ut quae ineunte vita Vespasiani una comprehensione sic complexus est: „Rebellione trium Principum et caede incertum diu et quasi vagum imperium suscepit firmavitque tandem gens Flavia“ pluribus verbis exposuit eoque modo quo furore per „illum Galbae et Othonis et Vitellii longum et unum annum“ (Dial. de Orat. 17) respublica dilacerata sit, sub aspectum veniret. Sed hoc ipsum concedatur, introitum illum per se parum subtilem adeoque ieiunum esse, ut eum, si quidem Suetonius pariter atque aliorum Caesarum Vespasiani vitam unice ab enarranda gente orsus esset, minime desiderares, tamen in vitarum auctore, ut est Tranquillus, non

modo non specimen subito τῆς πραγματικῆς ἱστορίας requiri posse facile intelligitur, sed ne longe quidem, ut opinor, explicatio abest, qua tandem de causa is principio illo usus sit. Dirksenio namque assentior, qui dicit[93]): „Die uns erhaltenen Biographieen machen den Anspruch auf eine zusammenhängende Darstellung der Zeitgeschichte ausdrücklich und erfüllen ihn in einem gewissen Sinne auch wirklich, so daß wir vollkommen berechtigt sind, die einzelnen Biographieen nicht gesondert aufzufassen, vielmehr eine vergleichende Zusammenstellung ihres Gesammt-Inhaltes zur Förderung des Verständnisses vereinzelter Ungenauigkeiten im Ausdrucke der Darstellung zu benutzen." Jam vero verbis istis de Imperio factis non nisi reverti Suetonium arbitror ad filum istum, quo per vitas gentesque Caesarum deducimur quodque ineunte Galbae vita verbis remiserat: „Progenies Caesarum in Nerone defecit." Quis enim est, qui putare possit, ignorasse Suetonium, hac ipsa re imperium, quod olim stabile certumque fuisset, incertum ac vagum factum esse? Id quod procul dubio vitis trium principum satis illustrasse sibi visus ad gentem Flaviam progreditur perlustrandam ex eaque ad ultimum mox respicit imperatorem, quem „constet licet cupiditatis ac saevitiae merito poenas luisse" ipsa gens sit „Reipublicae nequaquam poenitenda." Atque ita certe tantum abest, hic introitus ut ad probandum, quod Niebuhrius contendit, adhiberi possit argumentum, ut neque incommodus, neque etiam inutilis videatur. Verum Niebuhrii sententiam iam alia re infringi nemo non videt. Etenim quod Ernestius non dubitavit contendere (Excurs. ad vit. Tib. cap. 37), Krausius[94]) probare studuit: adhibita esse a Tranquillo Taciti scripta. Et videtur quidem revera hoc ita posse statui, ut in singulis quibusdam rebus Tacitum a Suetonio consultum esse putemus, qui certe verba eius, minime ingenium altumque historiae spiritum usarpare potuit. Atque est etiam aliud quid, quod quominus cum Niebuhrio consentiamus, maxime impedit. Multis enim Suetonius fontibus usus est, qui quomodo ei iam illo tempore, quod dicit Niebuhrius, patuerint, hand facile perspicias (Caesaris ad senatum epistolae, commentarii et epistolae Augusti, epistolae Tiberii, alia). Quia vero munere amoto haud amplius licuerit ipsa haec scripta inspicere, etiam cum Schweigero[95]) consentire nequimus coniiciente, scripsisse Suetonium vitas „quum honore illo privatus lenimen curarum inquireret et negotium in otio invito."

Verum etiam dedicatio opusculi opinionem confirmare videtur, Tranquillum id eo tempore composuisse aut inchoasse saltem, quo esset magister epistolarum. Est enim multo verisimilius, eum illud Septicio Claro fautori, quam rerum adversarum socio dedicasse. Nimirum ipsum si idem fuisse statuendum esset, quod Plinius [Ep. V, 10

(11) 3] perfectum vocans absolutumque Suetonium ut edere maturet cohortatur, Niebuhrio, quoniam epistolam illam Suetonio iuveni scriptam esse pro certo fere dicere possis[96]), minime videretur esse repugnandum, nunc quia non est, qui illud audeat contendere, in iudicio acquiescimus proposito.

De fontibus Suetonii iam saepius a viris doctis disputatum est.[97]) Quam ob rem iam mihi sufficit monere, Schlosserum[98]) errasse existimantem, Tacito et Suetonio non licuisse, acta senatus adire. Quod enim ad Suetonium,[99]) vit. Aug. c. 5 haec legimus: „Nam, ut senatus Actis continetur, cum C. Laetorius seqq.“ Quem locum etiam Krausius omisit, qui alioquin haud facile haec modo contendisset:[100]) „Senatus quidem acta cum non diserte se adhibuisse profiteatur (sc. Suetonius): tamen quin consultaverit, dubitari vix potest.“

Sed supra commemorata Dirksenii sententia, singulas Caesarum vitas inter se cohaerere, dicendum, quamnam rationem inter eas intercedere existimat. Nimirum cogitatione eas inter se coniunctas esse contendit: „daß die Leistungen der beiden ersten Begründer einer geregelten monarchischen Form für die Römische Weltherrschaft, nämlich Julius Caesar's und August's Kriegsthaten und Friedenshandlungen sämmtlichen Nachfolgern derselben zum Vorbilde hätten dienen sollen, daß gleichwohl nur von wenigen dieser Gewalthaber die Bahn würdiger Nacheiferung betreten sei und daß die Geschichte der Kaiserregierung ungleich häufiger über Gegensätze als über Seitenstücke jener Muster zu berichten habe.[101]) At profecto quo speciosius haec dicta sunt, eo difficilius, quo nitantur, reperiri potest. Nec tamen probandum videtur, quod plane e contrario Niebuhrius statuit „Er (Sueton) hatte keinen Plan, er irrt von einem Gegenstande zum anderen und in Folge davon sind seine Biographieen ohne einen bestimmten Charakter.“[102]) Multo enim rectius, ut opinor, idem alibi[103]) dicit, Suetonium vitas Caesarum describendo historiam temporum, quibus illi imperitaverint, componere cogitasse. Itaque totum opus quamquam tenuissimo filo, quod supra deprehendere licuit, continetur, non prorsus tamen consilio eget. Neque etiam a singulis eius partibus omne consilium abest, quamquam versatur in ordine plerumque rerum, quae enarrantur modo externo[104]) eodemque in qualibet vita repetito. Quae male simplex per certa rerum genera narrandi ratio per se iam prodit grammaticum, licet Dirksenius nam vel ex proposito derivaverit, quod ut supra memoratum est, Suetonio affinxit.[105]) Ex Niebuhrii vero severis de Suetonio iudiciis vix dubium, hoc quin verissimum sit, aetatis qua ipse vixerit, descriptionem multo inferiorem esse enarratis temporibus hanc quae antecesserint atque ex scriptis modo ei innotuerint, quam tandem rem documento esse, vel plane defuisse ipsi historiam scribendi facultatem.[106])

Quod enim dicit: „Sueton ist als Charaktermaler sehr schlecht," „er hat keine Anschauung von Charakteren"[107]) quamquam iam multo minus probandum, quod e contrario Schlegelius contendit: „Nationen und Zeitalter zu charakterisiren, das Große groß zu zeichnen, das ist das eigentliche Talent des poetischen Tacitus. In historischen Porträten ist der kritische Suetonius der größere Meister,"[108]) id certe cum Bernhardyo Tranquillo dandum videtur: In Portraits leistet er Manches, indem er kleine Charaktere zu zeichnen versteht.[109])

9. Στέμμα Ῥωμαίων ἀνδρῶν ἐπισήμων: Corna virorum illustrium Romanorum. De quo opere quid videatur animadvertendum, pluribus erit dicendi locus infra.

Sunt vero haec quae Suidas enumerat Suetonii opera. Iam in proferendis fragmentis aliis e scriptoribus, haud inutile videtur, eum sequi ordinem, quem horum cuiusque aetas facile subministrat. Ita enim quam diu opera, ex quibus illa supersunt, nota fuerint, ex parte quidem licet suspicari. Primo igitur loco opus nominamus:

10. De regibus. Quod tribus constans e libris (minus accurate editores operum Suetonii fragmentum inscripserunt: de regibus liber) Ausonius Epist. XIX Paulinum in versus[110]) coegisse tradit: „His (litteris tuis) longe iucundissimum poema subdideras, quod de tribus Suetonii libris, quos ille de regibus dedit, in epitomen coëgisti tanta elegantia, solus ut mihi videare assecutus, quod contra rerum naturam est, brevitas ut obscura non esset." Profecto Tranquillum hoc in opere conscribendo ad Cornelium Nepotem se applicasse suspicor. Quemadmodum enim in scriptis quae sunt in manibus nostris, nonnunquam eo auctore usus est (Aug. c. 77, de gramm. c. 4, de rhet. c. 3, vit. Ter. 1, 3), sic illius de regibus opusculum (cf. Corn. XXI 1, 1) non est, cur dubites quin noverit atque adhibuerit.

11. De vitiis corporalibus liber. Quem librum Servius duobus commemorat locis: ad Virg. Ecl. III, 8 his verbis: „Hirci autem sunt oculorum anguli secundum Suetonium Tranquillum in vitiis corporalibus," ad Virg. Aen. VII, 627 his: „Secundum Suetonium in libro[111]) de vitiis corporalibus, Arvina est durum pingue, quod est inter cutem et viscus." Exhibet vero ut alibi Servium exscribens Isidorus Orig. XII,[112]) 1, 14 haec: „Nam hirci sunt oculorum anguli secundum Suetonium."[113]) Illum autem librum, quem Torrentius („Prunio Suo" in ed. Suet.) ad aedilitium edictum referri debere censuit, Fronton. in animo habuisse mihi persuasum est, de oculorum aliquo morbo suo scribentem Epist. ad amic. I, 16: „Graeci ieron oston, Suetonius Tranquillus spinam sacram appellat. Ego me neque

graecum neque latinum vocabulum ullius membri noss mallem, dum istius doloris expers vitam degerem." Quae verba coniiciendi ansam praebere possunt, Isidorum quae de sacra spina proferat Orig. XI, 1, 96: „Sacra spina est ima perpetuae spinae, quam Graeci ἱερὸν ὀστοῦν vocant, quoniam primum infante concepto nascitur ideoque ex hostia id primum a gentilibus diis suis dabatur, unde et sacra spina dicitur" ex parte saltem Suetonio debere. Ex Frontonis enim verbis primus hic sacram dixisse videtur spinam, quae a medicis simpliciter spina nominaretur. Verum tamen separatim eum hanc rem perscripsisse ne opus quidem est putemus, immo vero narrando potuit ille nomine uti antea minus usitato. Profecto exempli gratia non dubito equidem, quin narraverit ille, quae in Eusebii Chronico apud Hieronymum n. 2020 leguntur: „Messalla Corvinus orator ante biennium, quam moreretur, ita memoriam ac sensum amisit, ut vix pauca verba coniungeret et ad extremum ulcere sibi circa sacram spinam nato inedia se confecit anno aetatis LXXVII."

12. De institutione officiorum. Cuius libri his meminit verbis Priscianus (lib. VI p. 696 ed. Putsch.): „Puerpera dicitur, quae puerum vel pueram parit, id est puellam, quod est diminutivum puerae, ut capra capellla, tenera tenella, umbra umbella. Ovidius etiam hoc approbat, qui in V Metamorphoseon (V, 400) de puella Proserpina narrans dicit: Tantaque simplicitas puerilibus affuit annis. Quod derivativum non pertineret ad feminas, nisi etiam puera esset dictum. Quod tamen comprobat etiam Suetonius diversos ponens usus in libro qui est de institutione officiorum." Profecto M. Varro Cn. Pompeio, consuli primum designato, commentarium dederat „isagogicum" de officio senatus habendi (Gell. XIV, 7), C. Ateius Capito de officio senatorio (Gell. IV, 10 7), Q. Aelius Tubero de officio iudicis (Gell. XIV, 2, 20) C. Sempronius Tuditanus libros magistratuum[114]) scripserat, sed haud dubie horum omnium operum longe alia erat indoles, quam ut cum Suetonii libro comparari possent, nisi quod hic pariter atque illorum quodvis commentarius haud dubie erat isagogicus. Intercesserit enim inter Tranquilli illorumque virorum scripta quoad materiam et formam eadem, ut uno verbo dicam, ratio, quae inter auream, quam dicunt, argenteamque àetatem.[115]) Certe Suetonius vit. Aug. c. 37 nova hunc officia excogitasse narrat et de Tiberio scribit vit. Tit. c. 42: „novum denique officium instituit a voluptatibus." Sic vero sub quovis fere Imperatorum ofiicia palatii adaucta, ut iam mirum non sit, quod haec describenda vel libri componendi apta Suetonio videbantur materia, sive eos docere voluit, qui aeque atque ipse palatii aliquo munere fungerentur, sive in-

genii lusum instituens originem fortasse et vim usus cuiusque, qui viguit in palatio, exponere. Neque ideo erret credo, qui hunc ad librum fragmentum referat, quod eorum quis, qui Chronicon Paschale sive Fastos Siculos composuerunt, ad Olymp. XVII (p. 127 ed. Cang.) ex Suetonio, quem dicit sapientissimum, exhibuit. Hoc enim narratur, Numam forma chlamydis delectatum, quam Pelasgorum legati, qui ad eum venissent, gestarent, quum primum instituisse, ut a Romanis chlamydes induerentur, tum ne quis sine chlamyde, quae magnificentiam haberet regii vestitus, in palatium intromitteretur, edicto curasse. Quemadmodum igitur Suetonius vit. Vesp. c. 24 meminit cuiusdam „ex officio admissionis, sic iam Numae temporibus, quamquam modo ac ratione minus excultis, idem quoad rem officium [116]) existerit, cuius tum erat, ut ne quem ad principem admitterent, qui non esset praescripta illa chlamyde indutus. Certe Cedrenus de alio officio narrat a Numa instituto, quod quidam famulorum ipsius gerens ab unoquovis eorum qui a palatio stipendium sumebant, κεράτιον ἓν accipiebat (ed. Becker T. I p. 801). Ceteroquin Cederenus pariter atque Joannes Malalas (Chronogr. p. 38 D) fragmentum illud Suetonii ad verbum ex Chronico transscripsit (ed Becker T. I p. 34) breviusque alio loco (T. I p. 260) Numam ab Isauris laenae gestationem sumpsisse notavit. Quem ideo iniuste ad Scalig. ad Euseb. n. 1344 (Animadv. p. 75) reprehendi apparet dicente: „De purpura perperam Numae attribuit Cedrenus).“ Vel etiam ne fuerit quidem auctor Chronici Paschalis reprehendendus. Quamquam enim Eusebius l. l. Tullum Hostilium primum regum Romanorum purpura et fascibus usum esse refert [117]) (ed. Aucher., t. II p. 185), haec cum illius narratione ita fortasse conciliari possunt, ut Numam tantum chlamydem purpuream, Tullum Hostilium purpuram et fasces, utramque ergo rem simul primum usurpasse contendamus nisi forte Eusebium errasse putandum. [118]) Narrat vero Suidas quoque (s. v. χλαμύς) Numam cum Isaurorum legati ad eum venissent, habitu illorum observato formam chlamydis invenisse. Atque ille quidem postquam paulo aliter atque Chronici auctor discrimen inter regiam et senatoriam chlamydem exposuit, iam aliud addit de calceis senatorum cappa Romano insigniendis Numae praeceptum, ita ut (nisi forte omnia, quae Suidas narrat, meras nugas cum Kuestero, Suid. lexici editore, habere vis) et huius et Chronici auctoris verba aptissime ad Suetonii de genere vestium opus possis etiam referre. Fuisse autem chlamydem purpuream ad Diocletiani usque tempera imperii insigne, Eutropius lib. IX cap. 26 testis est. [119])

13. Praetorum libri a Prisciano commemorantur: lib. VIII, 20:

„Suetonius in VIII praetorum: fasti dies sunt, quibus ius fatur, id est dicitur, ut nefasti, quibus non dicitur.“ [120])

lib. VIII, 21: „Suetonius (autem) passive protulit in IIII praetorum: Laetoria [121]), quae vetat minorem annis viginti quinque stipulari, ἐπερωτᾶσθαι.“

lib. XVIII, 149: „Suetonius in IIII praetorum „minor XXV annorum stipulari non potest“ passive dixit.“

Nimirum Hertzius ad primum horum locorum postquam „praetorum“ in cod. Halberstadiensi (H., Lutherio Kreblii) necnon Caroliruhensi 223 (k.) a manu altera (kk, cf. „subsidiorum conspectum, quem post praefationem in medium protulit) legi singnificavit (nam paet*orum H., prae*orum k. exhibet), haec annotavit: „pratorum Baehrius Gesch. d. Röm. Lit. II, 160 ed. tert. at v. § 21 et lib. XVIII, 149: nam tribus his locis et libri in praetorum titulo conspirant ipsaque locorum argumenta huic titulo respondent.“ Profecto propter librorum mss. conseusum (qnamquam in codd. laudatis ab altera dumtaxat manu „praetorum“ legi non est nullius momenti) Priscianus quidem „praetorum“ scripsisse videtur neque tamen operi Suctoniano hunc titulum fuisse verisimile est. Quis enim est, quin sciat, libros praetorum non nisi libros ab ipsis praetoribus compositos dici potuisse? Quis porro non existimet, eiusmodi libros Suetonio fere inutile fuisse condere, iam existentibus libris magistratuum (quos Livius commemorat IV, 7, 10, IX, 18, 12)? Quis denique non miretur libros praetorum, quos certe publica habuissent documenta, nusquam praeterea ab antiquitatis scriptoribus commemorari? Atque etiam ex parte modo Hertzius verum dixisse videtnr locorum laudatorum argumenta illi titulo respondere contendens. Nam per se quidem ab eo minime haec abhorrere, facile concedit, qui, quod non nisi diebus fastis fieri potuit, praetores ius Romae dixisse (cf. Varro l. l. 5, 80: qui praeiret iure et exercitu, Cic. de legg. III, 3, 8: iuris civilis custos esto) necnon stipulationes nonnullas κατ᾽ ἐξοχὴν praetorias dictas esse memincrit. At Suetonius haud dubie non quid essent dies fasti vel quid praeciperet lex Laetoria, in animo habuit docere, sed de etymologia vocis „fastus“ verba fecisse nec minus legi Laetoriae notam aliquam grammaticam videtur adiecisse.

Quodsi igitur Suetonium libros praetorum scripsisse per se non est admodum credibile, „pratorum“ titulum multo magis iam ipsa ratione sua comprobari posse demonstrandum eundempue, si quidem (ut Gellii verba omittam mox commemoranda) Prisciani codicibus Isidori Hispalensis libros mss. et codicem scriptoris annonymi de differentiis sermonum opposuero, addubitare desinat, qui idem quomodo fragmenta Isidoriana praetorum titulo respondeant, frustra nitatur explicare.

Scripsit Plinius in praef. lib. I nat. hist. haec: „Inscriptionis apud

Graecos mira felicitas" idque dictum variis comprobavit exemplis, inter quae etiam λειμών inscriptio reperitur. A Plinio autem, ut videtur, exemplum repetens Gellius ut demonstret, nihil se imitatum esse „festivitates inscriptionum" quas plerique alii utriusque linguae scriptores eiusdem generis libris indidissent, in praef. Noct. Att. plurimas earum enumeravit. Nec modo hic fuisse dicit, qui λειμῶνας libros suos inscripsissent, sed addit etiam „est praeterea, qui Pratum scripsit." Nimirum Suetonius in vit. Terentii cap. 5 „Cicero, ait, in Limone hactenus laudat." At sequuntur versus, ex quibus carmen epicum sic inscripsisse Ciceronem facile concludas, quamobrem ad hunc Gellium, aliorum qui recenseat opera, ut inscriptiones eorum cum ea comparet, quam ipse excogitasset, capite laudato omnino non respexisse ita, ut opinor, est in promptu, ut res disputatione non egeat. Profecto is ubi graecam commemorat inscriptionem, Pamphilum potius, Alexandrinum eundemque grammaticum Aristarcheum, qui Suida teste (s. v. Πάμφιλος) λειμῶνα scripsit (cf. etiam scriptorum, quos Suidas excerpsit indicem, Bernhard. Tom. I), haud dubie intellexit. Hunc vero si Cicero, qui eius de Orat. III, 21, 8 mentionem fecit, in inscribendo opusculo suo videtur esse imitatus, quanto magis is Suetonio, quem iam a Gellio verbis „est praeterea, qui Pratum scripsit" dici comprobabimus [122]), exemplar fuerit?

Legimus enim in Isidori de natura rerum lib. cap. 38 haec: „Signa autem tempestatum navigantibus Tranquillus in Pratis sic dicit: Mutatio tempestatis exspectanda est in asperius quum in nocturna navigatione scintillat ad remos et gubernacula aqua. In austrum venti mutatio est, quum lulligines, hirundinesve volant, aut quum delphini totos se saltibus ostendunt et caudis aquam feriunt. Nam semper inde ventus oritur, quo ille feruntur. Nec mirum est, muta animalia divinare sub gurgite. Semper enim incipientis aurae motu inclinantur, quam permutationem maris primi undarum incolae sentiunt. Itaque propter impetum pugnant: sive metu, ne deferantur in litora: sive natura, ne aversorum cervices unda praecipitet. Quid ergo? Delphini tantum hanc iniuriam timent? Immo et ceteri pisces. Sed hi tantum apparent, quia exiliunt." Atque incipit eiusdem libelli caput XLIV [123]) sic: „In Pratis Tranquillus sic asserit dicens seqq. Jam vero quamquam confitendum, utroque loco libros manuscriptos in exhibendo operis Suetoniani titulo maxime inter se discrepare, collatis variis scripturis (altero loco: in Portis, in partes, altero: in annalibus libris patrum, in pratis in annalibus [124]) non nisi haec ipsa: „in Pratis [125]) vi-

detur restituenda. Re vera autem idem, quod Priscianus tribus illis locis commemoravit opus, etiam ab Isidoro dici, eo comprabatur quod quae ille lib. VIII, 20, hic in primo ipsius de natura rerum libri cap. § 4 scripsit: „Fasti dies sunt, quibus[126]) ius fatur, id est, dicitur, ut nefasti, quibus non dicitur."

Haec enim itemque illa, quae in eiusdem libri cap. XXXVII (ed. Arev. l. l. p. 51) leguntur: „Quosdam autem Tranquillus proprios locorum flatus propriis (cod. Bamb. certis) appellat vocabulis, quo ex numero sunt in Syria syrus, carbasus in Cilicia, in Propontide thracidas, in Attica sciron, in Gallaecia circius[127]), in Hispania sucronensis" quis est qui dubitet, quin ex eodem illo fonte Isidorus hauserit, quem ipse mox (cap, 38 et 40), ut vidimus, nominavit? Certe Prisciano Isidorum auctore usum esse, nusquam, ni fallor, vestigium reperitur. Quae quum ita sint quumque fragmenta certe Isidoriana minime praetorum titulo respondeant, iam licet profecto contendere, in illius quos supra memoravimus locis „Pratorum" legendum esse, ipsumque Priscianum, si quidem „praetorum" scripsit, errorem commisisse. Profecto etiam aliud exstat testimonium, composuisse Suetonium opus „Pratum" vel „Prata" inscriptum. Edidit onim Dorvillius in Miscell. Observat. critt. nov. Tom. IX (Amstel 1749) pag. 977 seqq. e codice quem ex bibliotheca Buherii ad eius generum, Burbonnium, praesidem senatus burgundici translatum Divione descripserat, libellum cuius in fronte „Incipiunt differentiae sermonum Remi Palaemonis[128]) ex libro Suetonii", in fine leguntur haec: „Explicit praescriptae differentiae ex libro Suetonii Tranquillini qui inscribitur pratum."[129]) Quas differentias mihi quidem ex parte modo Handii adnotationibus noscere contigit, quas ad incerti auctoris de differentiis vocum aspersit libellum (Progr. Unis Jenens. a. 1848).[130]) Verum non nisi collectanea eas esse e Palaemonis libro olim facta Handius censuit, parvi pretii Osanus (Beiträge etc. p. 253 not.) et Ritschelius ipsas habuerunt (Parerg. p. 627 not.), nec Palaemone nec Suetonio dignas Jahnius ad Persium (Proleg. pag. VII not. 2) Cui virorum doctorum iudicio et qui strictim libellum illum attigerit, nec prorsus fuerit immemor a Suetonio (de gramm. 23) Palaemonem principem inter grammaticos locum tenuisse narrari doctumque nominari ipsum a Juv. Sat. VII, 215, faeile adstipulatur. Profecto iam adnotatione nostra, quid nobis de libello isto iisque qui cum eo propinqua cognatione coniuncti, visum sit, aperte diximus. Quamobrem ad disceptationem progrediamur, quid e codicis Buheriani verbis de nexu inter Suetonii et Palaemonis opera quaeque omnino de opusculo, de quo sermo est, Suetonii videantur statuenda.

Mentionem fecimus verborum, quae Isidorus (de diff. verb. n. 534

in medium protulit, Palaemonis eaque, quamquam illum Suetonii Pratis usum esse manifestum est, non cx Suetonio, sed ex Hieronymo desumta putare coacti sumus. Nihilominus in Pratis haec existitisse, minime opus esse videatur negare, immo vero Hieronymum ipsa inde hausisse existimamus. Etenim si ex iis differentiarum libellis, quibus cum Palaemonis nomine nullam causam intercedere haud facile quis contendat, (quum potius, ut demonstravimus, eius differentias communem his fontem fuisse statuendum sit) iam eas eximere velles, quas Palaemone dignas et ab hoc ipso profectas censere posses, haud magnus profecto earum esset numerus. Quamobrem totum quendam differentiarum librum Suetonium composuisse eumque utpote e Palaemonis opere excerptum suum in opus inseruisse, id quod per se incredibile, tantum abest, ut existimem, ut de variis rebus grammaticis scribentem variorum auctorum atque inter hos sane Palaemonis quoque praecepta vel opiniones hic illic Tranquillum eodem nescio an minus benevolo animo [131]) notasse arbitrer, quo vitia eius posteritatem ignorare noluit, cf. de grammat. c. 23. Quibus ex animadversionibus composuerit deinde nescio quis grammaticus „differentias sermonum Remi Palaemonis ex libro Suetonii qui inscribitur Pratum.“ Nimirum totum differentiarum libellum Isidorus si in Suetonii Pratis reperisset, omnes quae in eo perscriptae fuissent, differentias suum in opus haud dubie transtulisset, singularem quandam notitiam (ut inter guttam et stillam differentiam) ignorare potuit. Verum omnino is liber Pratorum, quo res grammaticae tractatae fuerint, Isidori temporibus potuit etiam desiderari reliquis operis partibus integre servatis. Ex Prisciani enim necnon ex Isidori locis Suetonii opus „Prata“ inscriptum fuisse colligitur. Nimirum quod apud Gellium legimus: „est praeterea qui Pratum scripsit“ non impedit, quominus inscriptionem operis plurali numero expressam esse putemus. Nam Gellius fortasse singulorum librorum cum totius operis inscriptione confudit. Quod tamen in codice Buheriano verba exstant: „diff. e libro Suetonii, qui inscribitur pratum“, id vel etiam potest quodammodo cofirmare, et unum quemque operis Suetoniani librum Pratum inscriptum fuisse et in uno solo eorum differentias, quarum auctor Palaemon fuerit, notatas fuisse. Denique sic iam coniicere non dubitavimus, Suetonium operis sui inscriptione Pamphilum imitatum esse, hanc rem non obstare, quominus illum plurali numero istam expressisse putemus, facile quivis intelligit.

Totum vero Suetonii opus non modo grammaticis, sed cuiusque generis rebus explicandis thesauri instar constitutum fuerit accommodatumque. [132]) Notum est, Plinium maiorem scripisse CLX. commentarios (Plin. Ep. III, 5) Atteium Philologum excerpta talia sibi composuisse verba eius in epistola quadam significant: „Hylen nostram

aliis memento commendare, quam omnis generis coegimus, uti scis, octingentos in libros" (Suet. de gramm. cap. 10), Valerium Probum „non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui" reliquisse Suetonius narrat (de gramm. c. 24). Certe similia plurima in comparationem vocare possumus, ut et ipsius Suetonii Prata excerpta fuisse aut excerptis profecta ad verisimilitudinem adducamus.[133]) Verum ne his quidem opus est exemplis, ipse quum Gellius, ut memoravimus, illius opus cum suis Noctium Atticarum comparet commentationibus eorumque omnino opusculis, qui „variam et miscellam et quasi confusaneam doctrinam conquisiverunt,"[134]) (cf. Gell. I, 8: Is (Sotion librum multae variaeque historiae refertum composuit eumque inscripsit κέρας Ἀμαλθείας." Iam in praef. enim hanc inscriptionem Gellius commemoravit). Quod quum ita sit, Grialius suo iure, ut arbitror, „Prata" idem esse opus censuit, atque illud (14) „de variis rebus" quod his apud Charisium commemoratur verbis lib. II, p. 210: „Suetonius Tranquillus de rebus variis: Praepositiones, inquit, omnes omnino sunt Graecae duodeviginti (qui numerus inter omnes criticos grammaticos profecto convenit),[135]) nostras vero esse has: ab, ad, praeter, pro, prae, in, ex, sub, super, subter." Quae verba antecedunt haec: „Gaius Iulius Romanus de praepositionibus libro ἀφορμῶν ita refert." Nimirum hunc autorem grammaticum Charisio fontem fuisse primarium, Osannus ostendit (Beiträge etc. pag. 324 seqq. cf. Charis. ed. Lindem. pag. 30, not. 17). Atque ex eo, non ex Suetonio ipso et alia huius, quae Charisius exhibet fragmenta, hausta videntur. Quoniam enim inde a pag. 170 (Lindem. T. IV, p. 111) Iulii Romani de adverbio doctrinam tradit (G. Iul. Romanus ita refert de adverbio sub titulo ἀφορμῶν quamquam in sequentibus suam nonnunquam Charisius exponit sententiam (p. 172: Et quid ego de meris interiectionis viribus pertimesco seqq., p. 174: quod ego vix adducor, ut credam seqq.), ea, quae in fine huius capitis p. 175: „Suetonius (etenim) Tranquillus praeverbium putat dici debere, quod ante, vel adverbium, quod post verbum appellationem etiam nomenque ponatur" nec minus quae deinde p. 180 leguntur: „Isto vilius. Rex qui vocabat ad caenam, si sibi ea res exhibenda indiceretur, quam exhibere non posset, respondit, ut Tranquillus refert: isto vilius hominis erit caena" ex Iulio Romano decerpta habere velim. Certe altero ex fragmento Suetonium praeverbia et adverbia non disiunxisse elucet, aliis adverbia localia, quae Varro quattuor esse dixit ex, in, ad, ab, praeverbia vocantibus (Scaur. de orthogr. p. 2262). Haec ipsa autem inter praepositiones eum posuisse, quas decem tantum apud Romanos

esse statuit, altero edocemur fragmento. Quopropter aeque ac Varro Tranquillus, ut facile intelligitur, retulit etiam praepositiones inter adverbia. Ut vero ista, haec praeterea, quae ad etymologiam maxime verborum pertinent fragmenta, ad Suetonii Prata haud incommode mihi videor referre:

a. ex Suida s. v. Ἀσσάρια οἱ ὀβολοί. Νοῦμμας ὁ πρῶτος βασιλεὺς μετὰ Ῥωμύλον Ῥωμαίων γεγονὼς, ἀπὸ σιδήρου καὶ χαλκοῦ πεποιημένα (νομίσματα) πρῶτος ἐχαρίσατο Ῥωμαίοις, τῶν πρὸ αὐτοῦ πάντων διὰ σκυτίνων τὴν χρείαν πληρούντων, ἅπερ ὠνόμασεν ἐκ τοῦ ἰδίου ὀνόματος νουμμία, ὥς φησί Τράγκυλλος. Commemoravimus, ubi de Suetonii libro de institutione officiorum verba fecimus, idem fragmentum Suetonianum, quod in Chron. Pasch. legimus (p. 117 ed. Cang.) etiam Cedrenum exhibere eandemque porro rem, quae illo fragmento narretur, a Suida s. v. χλαμύς tradi. Iam hoc eodem locorum nexu, quae supra ex Suida commemoravimus, continentur. Mox enim postquam Numae de chlamyde edictum memoriae prodidit, haec auctor Chron. Pasch. ex Euseb. Chron. lib. I. in medium profert: κογγιάριον ἔδωκεν (sc. Numa) ἐν Ῥώμῃ ἀσσάρια ξύλινα καὶ ὀστράκινα (p. 117 C.). Quae sane alia sunt, quam quae in Suidae loco leguntur, sed licet, ni fallor, inde augurari, in fonte, quem Chron. auctor adhibuerit, post illam de chlamyde disputationem de assibus dictum esse. Verum Cedrenus ubi Numam laenae gestationem ab Isauris sumsisse narravit (ed. Paris. p. 148), continuo vel prorsus fere eadem, quae Suidas, de assibus commemorat. Ex his igitur nescio an colligi possit: Locos, quos Suidas exhibet s. v. χλαμύς et s. v. Ἀσσάρια, in fonte quem secutus est, coniunctos hic ipse demum discerpsit. Ille vero fons fuerit quidem Chron. Pasch., sed quae ex eo hausit, et breviter complexus est et iis amplificavit, quae aliunde maximeque e Cedreno eadem de re excerpere licuit, qui ipse, ut diximus, haud raro ad verbum Chronicon exscripsit. Itaque Cedrenus si utroque loco Suetonii nomen tacuit, Suidas, ut puto, s. v. Ἀσσάρια ipse hoc ex Chron. Pasch. addidit, cuius auctor in fine disputationis de Chlamyde Tranquillum nominaverat eodemque hoc auctore in sequentibus, quae de assibus disputaret, Suidae usus esse visus sit. Quodsi igitur vocis „nummus“ interpretatione ex Suidae loco Suetonium inepta protulisse liquet, quia est illa, ut recte monuit Scalig. ad Varr. de ling. lat. IV, 36 ex νόμος vocabulo derivanda[136]) (cf. Dacer. ad Paul. Diac. s. v. nummus: Lindem. corp. gr. T. II p. 534, Otfr. Müller: Etrusker, I, 4, 16 p. 315), etymologiae huius ratio est fortasse Cedreno dumtaxat vitio vertenda, Suetonii verba aut prave percipienti aut suo proprio imperite absurdeque ficto augenti atque obliteranti. Profecto is et alibi falsa illa etymologia utitur eamque

bis prolatam (ἀπὸ Νουμᾶ, κατά τό ἴδιον ὄνομα) ut comprobet, vel ipse aliud quid excogitasse videtur: a Numá primum obolos sua ipsius effigie signatos esse. Dicit enim (ed. Becker T. I, p. 801): „κεράτια (δὲ) αἱ ιβ΄ φόλλεις ὠνομάσθησαν, ἤτοι νοῦμμοι ἀπὸ Νουμᾶ βασιλέως Ῥώμης ὃς καὶ πρῶτος τοὺς ὀβολοὺς τῇ ἰδίᾳ εἰκόνι ἐχάραξε καὶ νούμμους αὐτοὺς κατὰ τὸ ἴδιον ὄνομα ἐκάλεσεν.“ Ut autem Plinius refert (hist. nat. lib. XXXIII), Servius rex primus aes signavit, antea, ut etiam Timaeus tradit, rudi Romae adhibito. Et quidem Servius, ut idem Plinius narrat (lib. XVIII, 3 init.), ovium boumque effigie aes signavit, Jano, qui in Latio regnasse putabatur, ex una parte sui capitis effigie, ex altera rostro navis[138]) aera signante (cf. Macrob. lib. I Plin. histor. nat. lib. XXXIII, Ovid. Fast. I, 229, 239, 240). Unde simul apparet, id quidem, quod apud Suidam legitur, Numam primum monetam ex ferro et aere factam Romae introduxisse, recte se habere posse. Licet vero Suetonius ex veritate hoc dixerit, non est tamen, cur neges, fieri potuisse, ut falsa etymologia uteretur. Etenim Varronem quoque ex Quintiliani lib. I, 6, 37 et ex Gellii lib. I, 18, 4 seqq. etymologiarum novimus auctorem quas propter summo iure ab his refelli eum manifestum est, qui ipse Lucium Aelium falsa ratione etymologica usum esse convicisset (cf. Gell. l. l.) Etsi vero Tranquillum fortasse ne merito quidem a suspicione llla liberavimus, Cedreno certe nullam nos iniuriam imposuissə persuasum nobis est. Ut enim qaid Byzantini homines in antiquitatibus Romanis ausi sint cognoscatur, iure illius excursum p. 167—170 Bernhardyus conferri iubet (ed. Suid. Prolegg. p. LII).

b. Comment. vet. ad Hor. art. poet. V. 354: „Scriptor, librarius, bibliopola, uti veteres dicebant, quod et Tranquillus affirmat.“

c. Serv. in Virg. Ecl. III, 105: Dicta ulna ἀπὸ τῶν ὠλενῶν id est: a brachiis: unde et λευκώλενος Ἥρη. Licet Suetonius unum cubitum velit esse tantummodo.“[139])

d. Isid. Orig. lib. VIII cap. 7: „Poetae unde sint dicti, sic ait Tranquillus: Cum primum homines exuta feritate rationem vitae habere coepissent, seque ac deos suos nosse, medicum cultum ac sermonem necessarium commenti sibi utriusque magnificentiam ad religionem deorum suorum excogitaverunt. Igitur ut templa illis domibus pulchriora et simulacra corporibus ampliora faciebant, ita eloquio etiam quasi augustiore honorandos putuverunt, laudesque eorum et verbis illustribus et iucundioribus numeris extulerunt. Id genus quia forma

quadam efficitur, quae ποιότης dicitur, poema vocatum est, eiusque fictores poetae."[140]) De quibus Graefenhanius ita sensit (Gesch. d. Philol. T. IV p. 452): „Interessant ist die Definition, welche Sueton vom Dichter und der Poesie giebt. Ausgehend von dem Natur-Zustande, aus welchem die Menschen durch die Religion und Gottes-Erkenntniß herausgetreten seien, läßt er die Menschen, entsprechend dem architectonischen Vorzuge der Tempel vor den menschlichen Wohnungen, eine höhere, rythmische Sprache erfinden, die im Gegensatze zu der natürlichen als eine künstliche, gemachte erscheint; daher der Dichter als ein ποιήτης (lege ποιητής), sein Gedicht als ein poema dasteht." Quamquam num ita plane ut apud Isidorum leguntur, Suetonio debeantur, quaeritur. Certe non nisi huius erroribus [141]) debeantur quae legimus:

e. Orig. lib. XVIII, 2, 3 [142]): Tranquillus autem triumphum latine dicit potius appellatum, quod is, qui triumphans urbem ingrederetur, tripertito iudicio honoraretur" et

f. Orig. lib. XVIII, 6, 8: „Tranquillus autem dicit: Dum cuiusdam gladiatoris in ludum emissi gladius curvatus fuisset ex acie recta, procurrit unus ad id corrigendum, tumque a pugnante responsum est, sic hac pugnabo, et inde sicae nomen datum est."

Etsi enim concedendum, id quod supra probare tentavimus, Suetonium falsis uti potuisse etymologiis, non est tamen, credo, qui quales his duobus locis ineptiae proferantur, a Tranquillo, docto grammatico profectas existimet. Rectam enim vocis „triumphus" derivationem iam Varro vidit de ling. lat. VI, 685 s. v. triumphare: „Sic triumphare appellatum, quod cum imperatore milites redeuntes clamitant per urbem in Capitolium eunti: Io triumphe: id a θριάμβω,° Graeco Liberi cognomento, potest dictum" [Cf. praeterea Serv. ad Virg. Aen. 10, 775, Phurnut. de nat. deor. (in cap. de Baccho): Ὁ δὲ θρίαμβος ἀπὸ τοῦ θροεῖν καὶ ἰαμβίζειν, Etymol. Magnum ed. Gaisford Oxon. 1848 p. 455, 16: θρίαμβος, Rötheri adnot. ad Lyd. de mens. p. 4], vocis „sica" vel ipse Isidorus Orig. X, 252 et ipso illo loco: Orig. XVIII, 6, 8 cf Ramshorn. Synon. T. I p. 511, Nro. 629. Denique haud scio an in opere de variis rebus exstiterint, quae scripsit Suetonius

g. Gellio teste Noct. Att. XV, 4, 4: „Eundem Bassum[143] Suetonius Tranquillus praepositum esse a M. Antonio provinciis orientalibus Parthosque in Syriam introrumpentes tribus ab eo proeliis fusos scribit, eumque primum omnium de Parthis triumphasse et morte obita publico funere sepultum esse." Quamquam enim hic locus redolet

operis historici indolem, nusquam alibi vestigium huius reperitur. Neque est cur Gellium in nomine auctoris exhibendo errasse existimes, immo Eutropii locus, qui est VII, 5, facit quodammodo, ut Suetonium de Ventidio Basso scripsisse putemus. Nam Livius, ut videtur, non nisi de uno proelio verba fecerat (Liv. CXXVIII: Parthos in Syria proelio vicit), Eutropius Suetonium, ut arbitror, sequens „tribus, ait, proeliis vicit" itemque Livius fortasse triumphum et funus publicum Ventidii omiserat (cf. Flor. IV, 9), quarum rerum alteram certe Eutropius memorat. Quem aeque ac Livium ab Orosio VI, 18 exscriptum esse nescio an ea ex re appareat, quod dicit: „Persas et Parthos-fudit" Eutropio modo Persas, Livio (scil. in epit.) Parthos modo dicente.

h. Servio teste ad Virg. Georg. IV, 127: „Corycos enim civitas est Ciliciae, in qua antrum illud famosum est paene ab omnibus celebratum. Et per transitum tangit historiam memoratam a Suetonio. Pompeius enim victis piratis Cilicibus partim ibidem (partim) in Graecia, partim in Calabria agros donavit."

Sed priusquam disputationem de Suetonii Pratis finimus, caput illud in Isid. de natura rerum libello XLIVtum hic exhibeamus nonnullisque illustremus adnotationibus, quod, ut suo iure Ritschelius contendit (Parerg. p. 627 not.), multo rectius inde de ipso Suetonii opere iudicare licet, quam considerandis differentiis ex ipso, ut putant, nobis servatis, de quibus diximus. Est vero ita, ut videtur, legendum:

De nominibus maris ac fluminum.

1. „In Pratis Tranquillus sic asserit dicens: Externum mare oceanus est, internum, quod ex oceano fluit, superum et inferum, quibus Italia alluitur. Ex his superum Adriaticum dicitur et Tuscum inferum.

2. Fretum angustum, quasi fervens mare, ut Siculum et Gaditanum. Aestuaria sunt omnia, per quae mare vicissim tum accedit, tum recedit. Altum proprie mare profundum. Vada, quibus in mari potest stari, quae Virgilius brevia appellat, quae eadem Graeci βράχεα.

3. Sinus maiores recessus maris dicuntur, ut Caspius, Arabicus, Indicus. Minores autem anguli, ut Paestanus, Amyclanus et similes. Flustra motus maris sine tempestate fluctuantis. Naevius in bello punico sic ait: „Onerariae onustae stabant in flustris" ac si diceret „in salo."

4. Moles quae eminent et procurrunt mari.

De quibus Pacuvius:

. . omnes latebras, subluta mole abstrusos sinus

Caecus fluctus tumens necdum tamen canus. De quo Atta in Togatis sic ait:

Pro populo fluctus caecos faciunt per discordiam. Et Augustus inquit: Nos venimus Neapolim fluctu quidem caeco.[144])

5, Litus, quidquid aqua alluitur. Flumen omnis humor, qui vel modice fluit. Torrens fluvius, qui pluvia crescit, siccitate torrescit, id est, arescit, de quo Pacuvius:

Flammeo vapore torrens terrae.

Ostia exitus fluminum in mare. Tullii aquarum proiectus, quales sunt in Aniene flumine quam maxime praecipites."

Quod totum hoc caput quum in aliis manu exaratis exemplaribus (cf. Isid. ed. Arev. T. I p. 663), tum in cod. Bamberg. desideratur neque in indice capitum fit eius mentio post praefationen hic interposito, ita haud dubie est explicandum, ut Isidorum addidisse id dicamus, postquam alius quis libellum iam descripsit, nisi forte nititur haec res sola eius codicis proprietate quadam (veluti folii facta iactura), ex quo fluxerint a quibus illud abest, libri manuscripti. Isidorus enim quin ipse ex Suetonio hoc fragmentum excerpserit, dubitare non possumus, postquam saepius iam novimus eum verba Tranquilli tradentem, voluisse eundem integrum ipsum exhibere, ea de causa facile credas, quod excerpta haud minora non modo ex Ambrosio (cap. 11, 13, 14, 15, 44) et Clemente (cap. 31), sed etiam ex Justino (cap. 46) aliisque scriptoribus ad verbum libello suo inseruit,

Quod vero ad Suetonium attinet, O. Mueller contendit, caput de quo loquimur, totum fere e Verrio ductum esse (cf. Fest. edit., praef, p. XXXIV et p. 382). Quem ab illo auctorem esse adhibitum, minime certe negaverim, quippe quod et loco Diomedis 1 p. 362 et aliis comprobatur exemplis ab O. Muellero prolatis (ed. Festi, Praef. cap. II). Atqui cum hoc doctissimo viro de ista re consentire nequeo, Tranquillus quia rerum, Verrius, ut constat, literarum ordinem secutus est. Verum coniicio equidem, in conscribendo illo fragmento Varronem a Suetonio excerptum esse. Quem omnino fontem fuisse Tranquillo [145]) Ritschelius luculenter demonstravit (Mus. Rhen. 1843, t. II, p. 625 Parerg. p. 622 et 23). Et scripsit quidem Varro et Ephemeridem navalem [146]) et librum de aestuariis (cf. Varr. de ling. lat. IX, 26 p. 204 ed. Muell.), quorum librorum utrumque certe a rebus fragmenti non alienum fuisse facile existimas.

Legendum esse „de nominibus maris ac fluminum“ iam coniecit O. Mueller [147]), qui idem qro „in Pratis“ male „imprimis“ scripsit ser-

vavitque cod. Oxon. verba: in Annalibus, quae equidem facere non possum, quin glossam habeam abiiciamque. Videtur enim ad vocem „pratis“ librarius aliquis temere explicationem addidisse: in annalibus, unde haud scio an orta sit deinde nonnullorum codicum scriptura: „in annalibus libris patrum.“ Cum textu autem coiisse, quibus (vel libri ipsi eorumque) capita inscribenda fuerint, non semel in codicibus observari potest neque est profecto, quod impediat, quominus idem in cod. Oxon. hic. usu venisse statuamus.

asserit dicens], cf. Isid. de nat. rer. cap. 13: sic loquitur dicens, c. 47 ita scribit dicens, c. 42: docuit dicens, cap. 38 legi dicentem.

In cod. Oxon. post „internum“ vox „medius“ immissa est, unde Langensiep. medio scripsit: sed ortum videtur verbum illud ex glossa ad „internum“ fortasse adiecta: mediterraneum.

superum et inferum, quibus Italia alluitur seqq.] cf. Pomp. Mel. II, 4.

quasi fervens mare] Vocem fretum inde originem duxisse Varro docet L. L. 6, 2 extr. Suetonio autem Isidorum ex parte debere, quae dicat Orig. XIII, 18, 2: „Fretum autem appellatum, quod ibi mare semper ferveat. Nam fretum est angustum et quasi fervens mare ab undarum fervore nominatum, ut Gaditanum vel Siculum“ iam est apertum. Non minus vero ex hoc capite Suetonii decerpta esse quae dicat ille Orig. XIII, 18, 1: „aestuaria, per quae mare vicissim tam accedit, quam recedit“ facile quivis agnoscit.[148]) Ad eundem fontem referenda sint, quae leguntur Orig. XIII, 18, 6: „Vada vero sunt, per quae in mari vel in fluminibus homines vel animalia pedibus vadunt, quae Virgilius brevia appellat, Graeci βράχεα.“ Nimirum a Suetonio ad Virgilium ablegatus, Isidorus Servii verba ad Virg. Aen. I, 111: „Brevia autem vadosa dicit, per quae vadi pedibus potest‘, cum ipsius Suetonii dicto videtur conglutinasse. Sinus[149]) seqq.] Isid. Orig. XIII, 17, 1: „Sinus dicuntur maiores recessus maris, ut in mari magno Ionius, in Oceano Caspius, Indicus, Persicus, Arabicus.“ Quem ad locum (Lindem. corp. gr. t. III, p. 425) Otto annotavit, haud dubie ex Isidoro in Festum transtulisse scribam codicis Lipsiensis Festi,[150]) quae in eo additae sint, glossas (vid. Paul Diac. Excerpt. e Festo p. 152, not. 9, ed. Lindem.): „Sinus maioris recessus maris, ut Caspius, Arabicus, Indicus.“ Sed nonne iam ordo trium horum nominum satis dilucide ostendit, certe ex Isidoro, sed non ex Origg. eius, immo potius ex lib. de nat. rerum capite, de quo agimus, illa decerpta esse?

Cod. Oxon: „ut Paestanus, Matrestae, Amuclanus.“ Langensiep: Paestanus, Ligusticus, Amuclanus. Sed nimis longe a cod. scriptura sic recedi liquet, ita ut quomodo ex altera voce altera orta putanda sit, L. plane videatur neglexisse. Quamobrem aut velim equidem coniicere: „Tartessius“ vel „Tarentinus“ quippe quae nomina per

compendium scripta haud scio an cum Matrestae vocabulo confundi potuerint, aut omnino hanc vocem omittam utpote ex interpretamento aliquo in margine fortasse addito exortam. Quemamodum etiam verba quae in cod. Oxon. sequuntur: „nomina maris duxerunt“ glossam habeo ad tria quae antecesserunt nomina adscriptam, nec minus glossam spirant: „in descriptione quadam“ pro quibus cod. Oxon. vel exhibet: „in inscriptione.“

procurrunt] cf. Tac. Agric. 10. De versu Pacuvii cf. Ribbeck. Tragic. lat. reliq. p. 108, de versu Attae eiusd. Comic. lat. reliq. pag. 140. Scripsit Arevalus: „Litus, quidquid aqua alluit.‘ Sed habet Isidorus, Orig. XIV, 8, 41 haec: „Litus est terra aquae et mari vicina. Et dictum litus, quia fluctu eliditur vel quod aqua alluitur.“ Cuius dicti alteram partem hausit, ni fallor, ex Servio ad Virg. Aen. I, 3: „Litus enim dicitur terra quaeque [151]) mari vicina“ alteram aeque ac Servius quod dicit ad Virg. Aen. V, 163: „litus est omne quod aqua alluitur“ ex Suetonio. Cf. praeterea Serv. ad Aen. XII, 248: Nam litus dicitur omnis aquis terra vicina.

Cod. Oxon: „torrescit, id est arescit.“ Quae num glossa sint, difficile dictu, quum „id est“ formula minime a Suetonio sit aliena (cf. Suet. ed. Baumg. Crus. T. III, p. 335, 836) habeatque hanc Isidorus quoque Orig. XIII, 21, 2 et de diff. verb. n. 244 (ed. Arev. t. V, p. 32). Quibus in locis facile quis verbum „torret“ servandum esse existimare posset, nisi Festus s.v. Torrens Pacuvii versum ex Antiopa sic citaret: (Lindem. corp. gr. T. II, p. 270): „Flammeo vapore torrens terrae fetum exusserit.“ Quamobrem videtur potius librarius aliquis, ut alliteratione venustiorem faceret, versum mutasse. Nam ex Varronis loco de re rust. I, 2: „Verum enim est illud Pacuvii: Sol si perpetuo sit, aut nox, flammeo vapore, aut frigore, terrae fructos omnes interire“ patet sane, de sole, non de fluvio torrente Pacuvium egisse. Tantum igitur abest, ut putemus, Suetonium et sensum et verba ipsius versus mutasse, ut utrumque librario alicui deberi censeamus; cf. Ribbeck tragg. lat. rel. p. 64. Ostia seqq.] cf. Isid. Orig. XIV, 8, 43.

14. Περὶ ἐπισήμων πορνῶν: De illustribus meretricibus. Ex Lydi enim verbis de magistr. III, 64: „Τοιούτῳ τὸν Ἡρακλέα χιτῶνι (σάνδυξ) περιβαλοῦσα Ὀμφάλη [152]) ποτὲ, αἰσχρῶς ἐρῶντα παρεθήλυνε. Ταύτῃ καὶ Σανδὼν Ἡρακλῆς [153]) ἀνηνέχθη, ὡς Ἀπουλήϊος ὁ Ῥωμαῖος φιλόσοφος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ ἐρωτικῷ καὶ Τράγκυλλος δὲ πρὸ αὐτοῦ ἐν τῷ περὶ ἐπισήμων πορνῶν ἀνενηνόχασιν“ colligitur, Suetonium tale opusculum composuisse. Quod Mercklinus [154]) respondens fere existimavit illius περὶ ἀνδρῶν ἐπισήμων operi. Quamvis tamen vel id ipsum concedas, grammatico quamlibet rem penitus ac diligenter investiganti satis amplam

idoneamque fuisse de illustribus meretricibus librum condendi materiam, haud facile hunc tale opus, quale illud de viris illustribus fuisse mox accuratius demonstrabimus, ulla ex parte adaequare potuisse credas. Nam hoc quidem quis est, qui dubitet, quin multo maioris fuerit molis, uberioris doctrinae, indolis, ut uno verbo dicam, tam prorsus alius, ut qui cum illo ipsum in comparationem vocare vellet, minime ex Suetonii mente agere videretur? Aut quaenam est omnino oppositio, quae inter viros in litteris illustres (grammaticos, rhetores, oratores, poetas) et meretrices illustres constituatur? Quapropter equidem alterum opus ab altero prorsus alienum fuisse existimo. Vel etiam illud ipsum de meretricibus omnino non exstitisse Lydumque, quia id sane nihil dubitationis habet, Suetonium, ubi de moribus Romae urbis egerit, illa quoque de re aptissime verba facere potuisse, non ad librum, sed caput libri, quem supra laudavi, „de Roma eiusque institutis et moribus“ dicto suo respexisse putarem, nisi huic opinioni ipsius fragmenti, quod in medium protulimus, indoles repugnare videretur. Minime enim de Romanorum solum, ut Quintilianus IV, 2, 123 eas vocat, praeclaris contubernalibus Suetonius egerit, sed ea, quae erat grammaticorum diligentia, inde a temporibus mythicis rem repetiverit commemorans etiam, quas Suid. vocat s. v. Ἑταῖραι Κορίνθιαι illustres meretrices: Λαΐς, Κυρήνη, Λέαινα, Σινώπη, Πυῤῥίνη, Σκιώνη, Ῥοδῶπις. Nimirum Bernhardyus (ed. Suid. s. v. Τράγκυλλος) rectissime de Tranquilli libello iudicasse videtur dicens: „His (Tranquilli operibus) accedat liber ad normam quaestionum earum, quas Alexandrini grammatici tractarunt confectus περὶ ἐπισήμων πορνῶν.“ Scripserant enim Apollodorus (εἷς τῶν — Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ μαθητῶν, Suid. s. v. Ἀπολλόδωρος) necnon Antiphanes aliique περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρῶν (Athen. XIII, p. 567 A. Harpocrat. s. v. Νάννιον, Suid. eadem s. v. et s. v. Φανοστράτη). Quorum scriptorum alterutrum non est profecto, cur dubites, Suetonius quin legerit atque adhibuerit.

Restant ex fragmentis, quae editionibus feruntur Suetonii operum tres Servii loci commemorandi, quorum alter (ad Virg. Aen. XII, 185) ad vit. Calig. c. 51 videtur spectare, alter (ad Virg. Aen. VI, 799) ad vit. Vesp. c, 4 aut vit. Aug. c. 94, tertius denique (ad Virg. Georg. III, 27), quo Casaubonus Servium [155]) errasse censuit (vide adnot. Wolfii). ad vitam Augusti. Addi potest, quod Servius (ad Aen. VIII, 680) dicens: „Tempora flammas Laeta vomunt; naturaliter enim Augustus igneos oculos habuisse dicitur, adeo ut (obtutum eius nemo contra aspectare posset: denique) quidam eques Romanus interrogatus ab eo, cur se viso verteret faciem: dixerit: quia fulmen oculorum tuorum erre non possum; sicut ait Suetonius“ vit. Aug. cap. 79

scriptor incertus, cuius in Glossario Virgiliano (ex Barth. Advers. 37, 5, Serv. ed. Lion t. II, p. 234) haec exstant: „Suetonius in X de XII Caesaribus: Dabat Saturnalibus viris apophoreta, item per KL. Martias feminis“ vit. Vesp. c. 19 videntur respexisse. Diomedis autem locus (lib. p. 365) qui inter Verrii fragmenta in Lindemanni corp. gramm. t. II p. 298 sic legitur: „Incohavi ab incoho dicendum putat Julius Modestus: quia sit compositum a caho initio rerum quod Verrius (et) Flaccus in postrema syllaba aspirandum probaverunt. Cohum enim apud veteres mundum significat,[156]) unde substractum incohare. Tranquillus quoque his assentiens libello suo plenissime aedem incohatam ita disseruit“ et ad Caes. vit. cap. 46 et ad Augusti vit. cap. 60 aeque videtur spectare neque opus esse ob ipsum cum Casaubono (ad Caes. 46) exstitisse olim aliquod de re grammatica Suetonii opus putare „cuius hodie etiam titulus nobis incognitus.“ Ut enim ex Diomedis verbis: „libello suo plenissime aedem incohatam ita disseruit“ loco aliquo Suetonium ex professo de dictione illa egisse concludamus, quid impedit, quominus in opere de variis rebus hoc factum esse putemus?

Iam vero non modo omnia, quae in editionibus leguntur, fragmenta Suetoniana suo quodque operi tribuere atque operis cuiusque argumentum, indolem, fontes quantum fieri potuit, illis studuimus illustrare, sed etiam addere contigit locos, qui hucusque tantum abfuit, ut ad Suetonium scriptorem cognoscendum facerent, ut ne legerentur quidem in fragmentis eius. Ad quos „Eutropii Epitome belli Gallici ex Suetonii Tranquilli monumentis quae desiderantur“ quam R. Stephanus editioni Caesaris commentariorum (a. 1544) adiecit,[157]) iam ita videri posset accedere, ut de bello Gallico Tranquillum scripsisse quis existimet. At prorsus aliter de illa sentiendum esse non est, quin videat. Ut enim Suetonii aetate belli Alexandrini Africique et Hispaniensis auctor erat incertus (Suet. Caes. 56), ita, quamquam ille Caesarem Gallici civilisque belli Pompeiani commentarios reliquisse diserte testatus est (l. l.), Eutropius vel horum bellorum non Caesarem, sed Tranquillum videtur habuisse scriptorem dicens initio epitomes: „Hanc historiam Suetonius Tranquillus plenissime explicuit, cuius nos competentes portiunculas decerpsimus.“ Ex quibus verbis haud dubie Suetonii nomen in ipsam epitomae inscriptionem traductum est, quemadmodum ex Orosii lib. VI. cap. 7 quod idem sonat,[158]) atque epitomae initium erant, ut Fabricius adnotat (bibl. lat p. 160 seqq. p. 496), qui Caesaris de bello Gallico commentarios ad Suetonium referrent (de quibus dixit Baelius in Lexic. edit. 2 in Caes. not. 5). Quo eodem errore videtur etiam factum esse, ut in non-

nullis Caesaris de bello Gallico[159]) et Hirtii de bello Alexandrino[160]) commentarii codicibus Tranquillus auctor nominetur, nimirum librariis existimantibus, multo minus dubitandum esse, quin qui Caesaris vitam, etiam bella ab eo gesta, quam is ipse res suas enarraverit.[161])

Nec solum Caesaris commentarios. sed etiam Dialogum de oratoribus Suetonio adscribi, idem Fabricius (ex eruditissimo Baluzeo T. II Miscell. p. 451) iam animadvertit. At certe inter omnes constat, libelli huius multo aptius Tacitum auctorem haberi, quia nectemporum ratio in Suetonium convenit neque huius ingenium in illius libri praestantiam. Ad quod accedit, quod Taciti nomen veteres in fronte gerunt libri manuscripti.

Sed tamen minoribus consideratis ac dispositis Suetonii fragmentis ad maiora progredimur recensenda. Sic enim vocari possunt, qui restant nobis libelli

de grammaticis et
de rhetoribus quaeque supersunt
vitae poetarum.

Nimirum haec scripta partes tantum habenda operis (15) „de viris illustribus, cuius Suetonium auctorem Hieronymus in praefatione scriptorum ecclesiasticorum his verbis testatur: „Hortaris Dexter, ut Tranquillum sequens eeclesiasticos scriptores in ordinem digeram et quod ille in enumerandis gentilium literarum viris fecit illustribus, ego in nostris faciam. Fecerunt hoc quidem apud Graecos Hermippus Peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus doctus vir et longe omnium doctissimus Aristoxenus musicus, apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus et ad cuius nos exemplum provocas Tranquillus“ atque in epistola ad Desiderium sic: „Scripsi librum de illustribus viris ab apostolis usque ad nostram actatem, imitatus Tranquillum Graecumque Apollonium.“ Quae testimonia[162]) ita profecto sunt comparata, ut summae videatur esse temeritatis, Suetonium de viris illustribus scripsisse negare.[163]) Occurrunt autem gravissimae nobis hoc in opere considerando difficultates. Primum enim quot ex partibus ipsum constiterit, deinde quod usque ad tempus libris manuscriptis virorum doctorum cognitioni reservatum fuerit, investigandum.

Putavit Ritschelius (Parerg. Plaut. p. 609 seqq. vel Mus. Rhen. 1843 p. 615 seqq.) ad tres illas, quas supra dixi partes, iam quartam quandam „de oratoribus accedere, quod in Chronico Eusebiano Hieronymus aeque atque in iis quae de grammaticis, rhetoribus et poetis proferat, videatur etiam verbis de oratoribus factis Suetonium excerpsisse. Et quidem hunc, ut ait Ritschelius, inter Hieronymum et Suetonium consensum iam suspicatus rst Scaliger quum ad poetarum plurimorum, tum ad aliorum quorundam, qnos memorat Hieronymus, scri-

ptorum nomina adnotans (in Thesauro temporum, Lugd. Bat. 1606), ex Suetonio, quae dicat ille, excerpta esse. Diserte autem Casaubonus in commentario ad Suet. (ed. Wolf. t. IV q. 289, 290) haec dixit: „habemus igitur operis Suetoniani tres partes distinctas: de grammat., de rhet., de poetis . . . . Praeter hasce tres videntur et aliae corporis eiusdem fuisse partes" ac praeterea (l. l. p. 312): Hieronymus quaecunque de claris oratoribus in Eusebii Chronico annotavit, ea ab hoc scriptore fuit mutuatus." Sed tamen consensus ille ubi sit statuendus, ubi non, quotque Suetonii operi re vera fuerint partes, ea de re non omnis adhuc sublata dubitatio. Quapropter non alienum puto, quae ratio inter Hieronymi Chronicon et Suetonii de viris illustribus opus intercedat, quantum fieri potest, investigare.

Scribit vero ipse Hieronymus in praefat. Chronici ad Vincentium et Gallienum haec: „quae nova inseruimus, de aliis probatissimis viris libata" ac deinde: „A Troia usque ad vigesimum Constantini annum nunc addita nunc mixta sunt plurima, quae de Tranquillo et ceteris illustribus historicis curiosissime excerpsimus." Quam ob rem etsi id quidem Ritschelio concedatur, Hieronymum in conscribendo chronico eos, quos in praefatione catalogi nominat auctores (qui de viris illustribus scripsissent) non adhibuisse, minime tamen concedi posse videtur, quod addit ille (Parerg. p. 621, in uno Suetonio Hieronymi dicta inniti eaque omnia, ubi liceat comparationem instituere, ex illo esse desumta. Verum haec res quomodo se habeat, in singulis illis operis Suetoniani partibus videamus iam ipsi.

Grammaticos Suetonii viginti, Hieronymus eorum ex numero quinque (n. 2008 C. Jul. Hyginum, n. 2013 Melissum, n. 2024 Verrium Flaccum, n. 2064 Remmium Palaemonem, n. 2072 Valerium Probum) nec praeter eos alium quem grammaticum perscripsit. Annotavit Scaliger ad numeros modo 2013, 2064, 2072 „Hieronymus ex Suetonio," Ritschelius (Parerg. p. 617) utique in iis, quae sint de grammaticis et rhetoribus, Hieronymum ad verbum Suetonio auctore usum esse eosque tantum grammaticos sibi elegisse censuit tractandos, quos maxime habuisset memoratu dignos. Verum id si fecit, iure miramur, quod Atteium Philologum (Suet. de gramm. c. 10), Sallustii et Asinii Pollionis (cui nobilis dicebatur grammaticus) amicum, et Valerium Catonem, qui Suetonio teste (l. l. c. 11) multos et nobiles docuit, silentio omisit. Jam multo magis tamen mirum, quod quae de Remmio Palaemone memorat Hieronymus (n. 2064), a Suetonio non memorantur: „qui quondam interrogatus, quid inter stillam et guttam interesset, gutta, inquit, stat, stilla cadit." Quod ita quidem Ritschelius explicare studuit, ut ab interpolatore aliquo ea intrusa esse diceret, sed cum Hermanno (disput. de script. illustr., quorum tempora Hieron. ad Euseb. Chron.

annotavit, Götting. 1848 p. 33 not. 204) id calidius iudicatum atque ab ipso potius Hieronymo Suetonium interpolatum dixerim.[164]) Nam quemadmodum is Eusebii verbis se nunc addidisse sua nunc immisisse profitetur (cf. praefat.) sic etiam Suetonii verba aut amplificasse eum aut decurtasse, quum per se admodum credibile est, tum exemplis nonnullis comprobari potest suo loco afferendis. Interim vero ac priusquam quibus aliis ex fontibus, quam ex uno Suetonii de viris illustribus opere Hieronymus hausisse videatur, dicere conamur, de ceteris huius partibus agendum.

Suetonii de rhetoribus libellum mutilum esse, et per se intelligitur et eo facillime apparet, quod in indice qui principio libri utriusque manuscripti legitur, sedecim exstant rhetorum nomina, in iis, quae sunt in manibus nostris, quinque modo eorum perlustrantur. Rursus quinque horum tres tantum in comparationem Hieronymi cum Suetonio, quam instituimus, adhiberi possunt: Plotius Gallus (1923), Otacilius Pilitus (1936), Albucius Silus (2011). Quos enim praeterea recensuit Hieronymus: Cestium Pium (2004), Porcium Latronem (2013), Statium Surculum (2073), Claudium Quirinalem, Antonium Liberalem, Iulium Gabinianum (2092), Fabium Quintilianum (2084, 2104), Iulium Tironem[165]) (2012), hos ex Tranquillo non nisi nomine sunt nobis noti. Atque ita quidem quod primum ad numerum attinet, recte Ritschelius observavit, Hieronymum rhetorum Suetonianorum undecim perscribere, minus recte nullum alium ab ipso dicit nuncupari rhetorem (Parerg. p. 617). Nam ut Porcium Latronem, qui apud Suetonium inter rhetores locum suum obtinet, Hieronymus declamatorem appellat, sic alii declamatores duo: Passienus pater (2007) atque Iunius Gallio (2080) ad rhetores, quos tractat ille, haud dubie sunt referendi, ne dicam de Passieno filio (2054), quem Hieronymus nec declamatorem, nec rhetorem, Tacitus (Ann. VI, 20) oratorem vocat (scitum eius de Caligula dictum laudans: neque meliorem unquam servum, neque deteriorem dominum fuisse (cf. Suet. Calig. c. 10). Certe non ignoravit Hieronymus, ut animadvertit etiam Ritschelius (Parerg. p. 619), discrimen quod est inter oratorem et rhetorem, neque ideo fugisse eum quid intersit inter declamatores atque oratores putandum. Quodsi igitur in ea operis Suetoniani parte, quae fuerit de oratoribus, Passienum et Gallionem recensos reperisset, non appellasset eos declamatores.[166]) Iam sunt vero, quos Hieronymus neque etiam Suetonius[167]) atque sunt contra, quos hic memorat rhetores, omisit ille. Atque horum quidem in numero Epidium esse, Augusti praeceptorem (Suet. de rhet. c. 4), ea de causa memoratu dignum videri poterit, quod Apollodorum Pergamenum (1953) Hieronymus Augusti praeceptorem nuncupare non omisit. Quae quum ita sint, etsi in tribus illis rhe-

toribus, in quibus iam licet Hieronymi verba cum Suetonianis conferre, manifestum est, haec illum adumbrare, ac vel etiam id Casaubono concedatur (cf. Suet. ed Wolf. T. IV, p. 310), totum fere de (claris) rhetoribus libellum in Chronicon Eusebii eundem retulisse, ea tamen, quae in prima operis Suetoniani parte sese offerebat nobis opinio, hic quoque probanda videtur: et alio fonte ac Suetonii de viris illustribus opere Hieronymum usum esse. Tertiam eius partem Ritschelius habuit, quam supra memoravi, de oratoribus. Atque enumeravit quidem ille, quos dicit Hieronymus oratores: Messalam Corvinum (n. 1958, 1991, 2027), Callidium (n. 1960), Atratinum (1996), Asinium Pollionem (2019), Asinium Gallum (2030), Haterium (2040), Votienum Montanum (2043), Cassium Severum (2048) et antea verba fecit de Furiis (1980), Munatio Planco (1992), Domitio Afro (2060), sed omisit Apollodorum Pergamenum (n. 1953), oratorem graecum, Curionem (1964) et quem ex Tacito oratoribus possis adscribere: Passienum filium (2054). Verum non fugit Ritschelium, accedere ad illos non modo Plinium iuniorem (n. 2125), quem ut infra ostendemus, cum seniore Hieronymus haud dubie confudit, sed etiam de quo nihil ex Suetonio hic compertum habere potuit, Frontonem (n. 2179).[168]) Quae res habet profecto, quod sit documento, Hieronymum quae de viris proferat in litteris illustribus, non solum ex Suetonii, sed etiam aliorum ex scriptis excerpsisse. Sed id priusquam copiosius exponam et vita Plinii, num ex hac tertia et vitae poetarum, num ex quarta illa, quae ex Ritschelii sententia de poetis erat, operis Suetoniani parte reliquiae habendae sint, non omittenda quaestio.

Vitam Plinii Vincentius Bellovacensis in speculo hist. lib. X, cap. 67 ut ex Suetonii „catalogo virorum illustrium" iisdem plane verbis repetiit, quibus in editis legitur. Nihilominus summo iure et ob dictionem et propter supinam negligentiam in tanti viri rebus memoriae prodendis Casaubonus eam Suetonio indignam habuit (cf. Suet. ad. Wolf, t. IV, p. 314). Verum iam ante eum Scalig. ad Euseb. n. 2125 plus quam quatuor seculis post Suetonii obitum et, ut auctor ipsius Hieronymo posterior esset, hoc autore eam scriptam esse censuit. Ac deinde quidem aeque atque hic, Vossius (de hist. lat. I, 31) vitae auctorem Plinios duos confudisse animadvertens hunc errorem [169]) ab Hieronymo illum mutuatum esse verisimile duxit. Ex hac vero aetate ad recentiora usque tempora omnium fere consensu vita illa Suetonio abiudicata est, quod ut de aliis taceam, Fabricius (biblioth. lat. p. 496) et qui exscripsit eum, Baumgart. Crusius (ed. Suet. Opp. T. I, pag. L) probant. Neque etiam nos ulla ex parte dubitamus, cum Ritschelio scriptum illud spurium existimare, nec minus sane ea quoque in re huic assentiendum videtur, quod ex maiore

quadam vita a Suetonio conscripta excerptum esse illud coniecit. Non obstat enim huic sententiae, quod auctor vitae Plinium Novocomensem facit. Nam Novumcomum et Plinio maiori patriam fuisse, iam viri docti verisimilius ducunt, quam Veronam (cf. Bernhardy. Hist. litt. Rom. ed. II, pag. 640). Atque ita quidem nec vitae auctori neque Hieronymo, nec Suetonio hac in re error obtrudendus videtur, immo vero recte se haberent, quae Wolfius dicit: „Certe aliter non potuit tradere Suetonius" (t. III, p. 36). Sed e contrario est etiam, quod sententiam illam confirmet. Quod enim movit Casaubonum, ut et alias operis Suetoniani partes esse statueret, quam tres illas de grammaticis, rhetoribus et poetis, locus erat, quem ex Suetonii de viris illustribus libro laudatum commemoravit Achilles Statius: „Dum idem Plinius legiones in Siciliam duceret, eruptione favillarum ab Aetna eructantium, praefocatus interiit anno vitae suae LVI (Suet. ed. Wolf. t. IV, p. 314). Nimirum haec, ut docuit Mommsenius (Philol. I, p. 180), ex scriptis Ioannis Mansionarii Veronensis (historici initio qui floruit saec. XIV) mutuata sunt ita scribentis: „De ipso refert Suetonius Tranquillus, valde mirari se, quod vir militaribus officiis deditus tanta componere potuerit etiam ratione vitae. Inquit enim ille in libro Virorum Illustrium: Dum idem Plinius legiones in Siciliam duceret, eruptione favillarum eructantium ex Aetna monte praefocatus interiit anno vitae suae LVI et in Sicilia tumulatus est." Iam vero is videtur Suetonii de viris illustribus opus ipse vidisse ideoque hunc aliam vitam Plinii, quam quae in editis legitur, scripsisse extra omnem fere dubitationem positum est. Quam ob rem hanc in comparationem nostram cum Hieronymo eum certe in finem institutam, ut de Suetonii opere inde quid patefiat, non posse adhiberi perspicuum est. Per se certe inter ipsam et Hieronymi dictum tanta intercedit similitudo, ut vel etiam, quod supra iam memoravimus, Scaliger et Vossius hoc auctore eam consarcinatam esse existimarent. Profecto ab Hieronymo quoque Plinium iuniorem cum seniore confusum esse etiamsi non ex voce „Novocomensis" de qua supra dixi, ex ceteris tamen verbis eius ac maxime quidem, quod vocat auctorem suum historicum[170]) eumque periisse dicit, dum viserit Vesuvium, facile colligitur (cf. Hermanni disput. supra laud. p. 36, n. 37). Quod vero dicit: „cuius plurima ingenii opera[171]) exstant, ipse haec haud scio an noverit atque ita fortasse suo iure Plinium oratorem et historicum vocaverit. Denique ut in vita spuria de operibus et morte potissimum Plinii agitur, Hieronymus his quoque de rebus verba fecit.

Vitam Terentii alii (Tanaquillus Faber, Daceria, Cocquelines, Schmieder, Osannus) Suetonio, alii (Erasmus, Muretus, Lindenbrogius, Zeunius, Bothius) Donato adtribuerunt.[172]) Sunt etiam qui quod in

reliquis Donati commentariis, idem in vitae Terrentii enarratione factum esse censent, ut a Donato primum conscripta, post additis aliorum opinionibus aucta sit. Censuit vero Scaliger ad Euseb. a. 1859 usque ad verba „Haec Suetonius Tranquillus“ ipsam Suetonii esse eique adstipulati sunt Casaubonus (cf. Suet. ed. Wolf. t. IV p. 289), Vossius (de hist. lat. I, 31). Nam in vulgaribus Terentii editionibus post Caesaris versus quum haec verba, tum addita quaedam a Donato vel ab alio nescio quo grammatico leguntur. Nimirum ab illo quidem vitam, de qua sermo est, excerptam esse iam inter omnes constat. Quemadmodum etiam quae in codice Mediolanensi aliquo, quem A. Maius divulgavit [173]), de vita Terentii reperiantur, ex Suetonio haud dubie desumta sunt. Verum hic in conscribenda illa nihil aliud proposuisse sibi videtur, quam ut quae veteres grammatici de Terentio narrassent, ipse, quamquam ex parte sibi repugnantia, in unum cogeret. Quo modo utrumque simul factum est, ut ad Terentium pernoscendum non multum ea nos adiuvet fueritque admodum difficile, Suetonio ipsam vindicare. Quod ut dixi, Scaliger praestitit, cuius docto in iudicio iam licet acquiescere.

Vitam Horatii Schol. Porphyr. ad Ep. II, 1, 1 et Schol. Cruq. ad Carm. IV, 1, 1 Suetonio diserte tribuunt plurimique ea de causa viri docti minime dubitarunt, ab ipso eam compositam iudicare (Casaub. cf. Suet. ed. Wolf. T. IV pag. 289, 312, Voss. de hist. lat. I, 31, Janius, Mitscherlichius, Vanderbourgius, Eichstaedtius, Kirchner et qui novissime edit. opp. Hor. curavit, Stallbaumius). Nec defuerunt, qui de opusculo illo accuratius inquirerent (Richter: in Horat. vit. a Suet. conscript. Zwiccav. 1833, Paldamus: Gymnasial-Zeitg. 1842 Januarheft S. 37 fg.), quemadmodum qui ipsi de vita Horatii vel de vitis eius ab aliis conscriptis disputarunt (Weber: Horat. Flacc. als Mensch und Dichter p. 2 seqq. Bernhardy. Hist. litt. Rom. Hal. 1850 not. 444) Suetonius quae ea de re memoriae prodidisset, diligenter, ut par est, perpenderunt. Quam ob rem summo meo iure acta agere mihi viderer hanc vitam vindicandi illi operam subiens.

Lucani vitam [174]) erant quidem, qui Probo adscriberent, quia nonnullis in libris manuscriptis huic adtribuitur, sed Suetonio eam ex stili convenientia Salmasius ad Solin. p. 320 (cf. Casaub. ad init. p. 744 ed. Graev.) vindicavit, necnon eum, ut iam monuit Casaubonus (Suet. ed. Wolf. t. IV p. 389), libri antiqui praeferunt auctorem. Non item vitam illam mutilam esse, Ritschelius ea de causa censuit, quod quamquam annum, quo Hieronymus e vita eum decessisse refert, ex Suetonio non licuit indicare, huius tamen ipsis verbis mors illius ab eo narratur.

Etiam vitam Juvenalis quae item nonnullis in libris manu-

scriptis Valerio Probo adscribitur, Salmasius (Exercit. Plin. p. 319a et p. 320a) Suetonio vindicare studuit. At Casaubonus quamquam ad vit. Othon. c. 3 Suetonium eius auctorem se habere professus certe non casu in editione operum Suet. omitti eam passus erat. Jam multi vero deinde exstiterunt, qui variis utentes argumentis Casaubonum ac praecipue Salmasium refutarent, etsi non defuit etiam, eorum iudicio qui accederet (Spaldingius in praefat. ad Quintil. Vol. I p. XXXV). Singulari autem libello Franckius „examen criticum Juvenalis vitae" instituit (Altona et Lips. 1810)[175]), qui tribuit eam Valerio Probo (p. 13), hic quoniam, ut dicit p. 14, „si non debet, at probabiliter potest auctor haberi, Suetonius non potest." Certe ut id quidem recte mihi videtur Franckius contendisse, ex orationis indole in neutram partem effici quidquam posse (p. 11), etiam iudicium eius mihi probatur, non esse a Suetonio vitam istam conscriptam. Est enim ratio rerum traditarum ea sane, quae grammatico, qui summa diligentia ac fide in rebus singulis minimis maximis et perquirendis et tradendis versatus sit, id quod non est, qui dubitet Suetonio dare, prorsus indigna, ut iam omittam, ab aequali Juvenalis eiusmodi vitam omnino non exspectari posse. Nec profecto, ut iam Vossius vidit (de poet. lat. cap. III), nullius momenti est, quod in Chronico (Euseb.-) Hieronym. nihil de Juvenale legitur, immo haec res dilucide, ut opinor, ostendit [176]), non Suetonium, sed scriptorem posterioris aetatis vitae auctorem esse.

Persii vitam a Probo esse compositam Jahnius copiosissime exposuit (Prolegg. ad Pers. p. CXXXV—CLVI), nitens maxime inscriptione eius quam vetustissimi codices prae se ferunt „vita A. Persii Flacci de commentario Probi Valerii sublata" [177]) (l. l. p. 233). Post Ritschelii autem dispuiationem de Suetonii (de viris illustr.) opere institutam sic suas partes tenere ille studuit (cf. Parerg. p, 618): „Ist es nun nach Ritschl's Auseinandersetzung nothwendig, den Valer. Probus Preis zu geben und Suetonius als Verfasser anzunehmen? Ich glaube noch nicht. Heinrich (z. Pers. p. 54 ff.), der übrigens auf den Probus nicht geachtet hat, sondern zumeist wegen des Ausdrucks: hunc ipsum librum imperfectum reliquit die Biographie einem Erklärer des Persius zuschrieb, macht darauf aufmerksam, daß Hieronymus, der den Persius viel und eifrig gelesen, auch alte Commentatoren desselben erwähne (apol. adv. Rufin. t. IV, 1 p. 367), und daher jene Biographie wohl gekannt und aus ihr seine Nachrichten entlehnt habe. Wenn aber in der That der Berytier Probus den Persius commentirte, so ist wahrscheinlich Suetonius in seinem Werk de poetis ihm gefolgt und die Nachrichten des Hieronymus können aus dieser Quelle geschöpft sein, während jene Excerpte unmittelbar aus dem Commentar des Probus herrühren." Sed ne iure quidem vita ista excerptorum nomine signi-

ficari posse videtur. Etsi enim id facile concedimus, Suetonium quod ad res attinet, Probo auctore usum esse, tamen verba huius ab illo usurpata esse, ut magis vel minus id fieri solet excerpendo, non est cur statuamus. Immo uno velut tenore totam vitam fluere nec compositam esse diversis e particulis recte, ut opinor Preller demonstravit.[178])

Ex vitis igitur, quae in libris editis Suetonii leguntur, poetarum iam pergentibus nobis Hieronymum cum eo comparare, Terentii, Horatii, Lucani, Persii uti licet. Ex quibus primum quomodo Hieronymus in excerpendo Suetonio versatus sit, admodum clare perspicitur. Quae enim dicit de Terentio (n. 1859), apud illum cap. 1, cap. 5, cap. 2 leguntur, et quidem primum, Terentius ubi natus sit (Carthaginiensis), ubi mortuus, deinde quoniam appellavit eum comoediarum scriptorem, de una saltem fabula eius Hieronymus dixit. Ac satis habet notasse „in Arcadia moritur“ Suetonio narrante, in Arcadiae oppido Stymphalo poetam mortem occubuisse. Omnino autem mortis modo Terentianae tempus ex Suetonio compertum habens uno numero omnia absolvit, contra quae in vita Horatii narrando coniunxisset ille (natus est-decessit), suo cuique anno adscribens: n. 1932 2008. Vel etiam correxit Hieronymus Suetonium quinquagesimo septimo aetatis suae anno Horatium mortuum esse scribens[179]), ipse tamen in errorem incidit, obitum eius ad annum referens, quo ratione habita anni natalis modo quintum et quinquagesimum annum moriens egisset. Praeterea vero Hieronymus „Romae“ Horatium mortuum esse de suo addidit, ea contra, quae de Lucano (n. 2080) dicit, ad verbum ex Suetonio referens, nisi quod ex dictis eius „signifer Pisonianae coniurationis“ et „detecta coniuratione nequaquam animi constantiam praestitit“ haec conglutinavit verba: „in Pisoniana coniuratione de prehensus.“ Non minus autem e vita denique Persii, quo tempore hic natus, quando mortuus sit, ut ibi alterum initio, alterum fere in fine vitae narratur, suo cuique anno adscripsit: n. 2050, 2079, modo de suo eum satyricum poetam significans atque ipse, ut videtur, ratione habita consulum aetatis Persii annos adscribens, quorum in codd. nostris numerus exhibetur XXX, egisse tamen re vera videtur modo octo et viginti.[180])

At profecto Hieronymus non modo de Terentio, Horatio, Lucano, Persio verba fecit, sed plurimos alios commemorat poetas, qui temporibus inter Ennium et Lucanum interiectis floruerint. Jam inter hos referatur licet Pylades Cilix pantomimus (n. 1995), de quo praeter eos quos Hermannus laudavit (l. l. p. 21 et 22) auctores cf. Niebuhr. ad Front. p. 167 not. 1. Annotavit vero Scaliger ad n. 1817, 1819. 1854, 1869, 1877, 1921, 1935, 1952, 1960, 1982, 2001, 2008, 2023, 2950[181]) „ex Suetonio“, ad n. 1777, 1815, 1830, 1976 „ex Suetonio

de claris poetis" Hieroymum quod dicat, hausisse, iam saepius etiam de fontibus eius silentium obtinens.[182]) Quae res admodum perspicue demonstrat, ut arbitror, Scaligerum de fontibus Hieronymi non modo non accuratius inquisivisse, verum etiam hac de re ne voluisse quidem certi quid statuere. Quapropter iudicio eius nihil fere nos proficere apertum est. Sed ad Hieronymum ut revertamur, Marcum Terentium Varronem hic n. 1901 philosophum et poetam, n. 1989 philosophum appellat ac praeter illum tres recenset philosophos: M. Porcium Catonem (n. 1948), Sotionem, Senecae praeceptorem (n. 2028) ipsumque Senecam (n. 2081), quem certe expressis verbis philosophum significare Hieronymus suo iure inutile duxerit. Jis autem addi potest Nigidius Figulus, quem dicit pythagoricum et magum (n. 1972).[183])

Nec modo historicos nonnullos: Sallustium (n. 1931 et n. 1981) Cornelium Nepotem (n. 1977), Livium (n. 1958), Fenestellam (n. 2035), Asconium Pedianum (n. 2091), sed etiam iurisconsultos Hieronymus recensuit: Servium Sulpicium, quem cum P. Servilio Isaurico coniunxit (n. 1973) et quos non ex Suetonio Hieronymo cognitos fuisse per se intelligitur: Salvium Julianum (n. 2146) et Ulpianum (n. 2241). Ad quos medicus (Augusti) accedit Artorius, cuius n. 1988 mentio fit. Copiosius vero de Cicerone Hieronymus disseruit (n. 1911, 1936, 1937, 1956, 1974) nec sane ipsum in iis quae ad hunc attineant, quum ex parte testium plerorumque, qui nunc exstant, consensu confirmentur, probatos auctores secutum esse, negari potest. Sed omnia haec quis est qui ex Suetonio sumta esse existimare possit? Videntur certe ut iam de singularibus his dictis taceam, neque ea quae de philosophis neque ea quae de historicis Hieronymus exhibuit, singulis operis Suetoniani partibus perscripta fuisse, id quod Ritschelius non dubito, quin recte iudicaverit, quod ex utroque genere virorum pauciores sunt, quorum meminit ille iique ex parte tales, de quibus aliunde ipsi facillime constare potuit. Quae sane ipsa res iam repugnat sententiae, solo Suetonio Hieronymum auctore usum esse. Quamquam igitur cum Ritschelio quatuor tantum operis illius partes fuisse „de grammaticis, de rhetoribus, de oratoribus, de poetis" et per se versimillimum esse et, ut deinde ostendam, causa quadam externa confirmari existimo, non omnia tamen, quae iis e generibus apud Hieronymum leguntur, ad Suetonii continuo opus referenda esse censeo.

Ipse ille, ut supra iam memoravi, quae nova inseruit, „de probatissimis viris libata" seque de Tranquillo et ceteris illustribus historicis curiosissime excerpsisse" profitetur. Atque est Eutropius maxime, quem aut iisdem verbis aut paucis modo immutatis saepissime exscripsit,[184]) nonnunquam, ubi copiosius res ille refert, perstrinxit.[185]) Hunc auctorem etiam in iis secutus est, quae e Suetonio[186])

ille vel e scriptoribus historiae Augustae[187]) deprompserat. Jam est vero nisi omnia me fallunt, et id quod n. 2179 Hieronymus de Frontone (Fronto orator insignis habetur, qui Marcum Antonium Verum latinis litteris erudivit) et quod n. 1986 (Cleopatra et Antonius semet interficiunt et Aegyptus fit Romana provincia[188]), quam primus tenuit Cornelius Gallius, de quo Virgilius scribit in Bucolicis) de Cornelio Gallo scribit, ex Eutropio petitum, alterum e lib. VIII cap. 12, alterum e lib. VII cap. 7. Quamquam verba „quam primus tenuit Cornelius Gallus" ex iis fortasse sunt composita, quae hoc de viro memoriae tradidit Sextus Rufus (cap. 13), cuius aeque atque Eutropii vestigia saepius Hieronymum invenimus presse sequentem.[189]) Qui ipse praeterea ad Eusebii de Theophrasto verba n. 1696 haec videtur annotasse „qui a divinitate loquendi, ut ait Cicero[190]), nomen accepit." Quibus ex verbis non incognita fuisse ei Ciceronis scripta apparet, quod per se quidem iam eo probatur, quod somnio aliquando angelum se audisse narrat a Cicerone legendo avocantem[191]) (Epist. ad Eustach. XXII, 30). Ex istis vero haud scio an ea saltem ducta sint, quae de ipso Cicerone (num., quos p. 155 dixi) in medium profert. Atque est etiam admodum credibile, legisse eum Senecae opera, ex quibus Sotionem[192]) n. 2028 praeceptorem Senecae (cf. Epist. 49, 108) nominare videtur (Euseb. enim ed. Aucher. t. II p. 263 haec modo habet: „Sotio Alexandrinus philosophus agnoscebatur)." In iis denique quae n. 2123 Eusebius de Plinio iuniore narrat[193]), ut hic ex Tertulliano (Apolog. c. II: quibusdam gradu pulsis) καὶ τῆς ἀξίας ἐκβαλῶν scripsit, ita Hieronymus ipsa verba illius „praeter obstinationem" suis interposuit, iam n. 2047 ex Tertull. Apol. cap. 19 (Flavium) Josephum „vernaculum" Judaeorum scriptorem nominans.

Sic vero minime in eo res versatur, ut Ritschelio assentiendum sit contendenti, omni ex parte constare, Hieronymum ad ea, quae ad litteras Romanas pertineant, Chronico inserenda praeter Suetonii opus nulla adhibuisse subsidia. Neque etiam quod ob id ipsum simul ille censuit, Hieronymus admodum leviter rem gessit, sed sit potius concedendum huic quodammodo id quod ipse praestitisse sibi visus est, „curiosissime" eum auctores suos excerpsisse. Attamen quoniam fontes eius neque omnes licet nobis adire nec tam large ac sincere profluentes atque ipsi, id certe eo minus dubitabimus putare, maxime illum eo ex fonte hausisse, quem ipse in praefatione operis nomine appellasset, Tranquillum. Atque est ita quidem, ut iam quae disputavimus, breviter complectamur, minime negandum, et quinque quos dicat grammaticos et undecim rhetores, nec minus oratorum ac poetarum plurimos[194]) non nisi e Suetonio Hieronymum commemorare, non videtur tamen id etiam dubitari posse, quin nonnullos Romanorum

viros in litteris illustres aut omnino ex aliis ille iisque quos diximus (Suet. Prat., [cf. quae diximus p. 40 cum iis quae disputavimus p. 28] Eutrop. [Sext. Ruf.], Cic., Senec., Tertull., Donat. [Virg.?]) auctoribus recensuerit aut certe eos ex Suetonio postquam perscripsit, iam aliunde, quae de ipsis notatu digna haberet, annotaverit.

Huius vero de viris illustribus opus quatuor ex partibus constitisse, ut supra iam monuimus, et externa quadam causa dilucide admodum confirmatur. Illud enim omnibus suis partibus expletum ad saeculum usque XV exstitisse, summo iure Ritschelius e Pontani verbis collegit, quae in margine codicis Perizoniani[195]) (quo primum usus Trossius scripturas, quas in ipso invenit variantes, editione Taciti Germaniae divulgavit, Hammonae 1841) leguntur sic:

„C. Suetonius scripsit de viris illustribus. cuius exemplum secutis secutus hieronymus ipse quoque libellum de scriptoribus christianis edidit. Nuper etiam Bartholomeus facius familiaris noster de viris illustribus temporis sui libros composuit. qui ne hos Suetonii illustres viros videre posset, mors immatura effecit. paulo enim post eius mortem in lucem redierunt cum multos annos desiderati a doctis hominibus essent. Temporibus enim Nicolai quinti pontificis maximi Enoc EAsculanus in Galliam et inde Germaniam hos quamquam mendosos et imperfectos ad nos retulit. Cui sic habenda est gratia ut male imprecandum est Sicconio polentono patavino. qui cum eam partem quae est de oratoribus ac poetis invenisset, ita suppressit ut ne unquam in lucem venire posset. quam ego cum patavii perquirerem, tandem reperi, eam ab illo fuisse combustam. ipsumque arrogantia ac temeritate impulsum de vitis illustrium scriptorum loquacissime pariter et ineptissime scripsisse: - Iou. Pontanus Umber excripsit: - Et quidem id simul videbatur inde Ritschelio elucere, duobus libris manuscriptis Suetonii opus eo tempore fuisse exaratum, quorum alter consilio, alter casu esset mutilatus. Nimirum eam partem, quae fuerit de oratoribus ac poetis, Sicconium Polentonum Patavinum combussisse Pontanus professus erat, ac restant modo libelli nobis de grmmaticis et rhetoribus, qui sint eiusdem viri testimonio intelligendi, per Henochum Asculanum in Galliam et inde Germaniam conquirendorum librorum gratia profectum Suetonii de viris illustribus libros in lucem rediisse affirmantis, quos quamquam mendosos et imperfectos retulisset ille in hominum notitiam. At summo iure Mommsenius monuit (Philol. I, p. 181), Ritschelium sine ulla causa putare, Polentonum habuisse quoque de rhetoribus et grammaticis partem in manibus, quae pars ab illo intacta relicta sit. Quum tamen Sicconius non nisi ignotam alias operis Suetoniani partem in animo habere potuerit delere, ipsam autem de oratoribus ac poetis partem ignotam esse postea demum,

altero codici in Germania reperto, in quo inerant modo de grammaticis et rhetoribus libelli, apparuerit, Mommsenius Ritschelii sententiam improbans, multo facilius rem explicari arbitratus est statuendo, Polentonum, si omnino quid operis Suetoniani habuerit, volumen de poetis et oratoribus, Henochum alterum de grammaticis et rhetoribus volumen reperisse. Profecto hoc iudicio multo minus probabilia videntur, quae Osannus ad improbandam Ritschelii sententiam protulit argumenta (in edit. novissima Suet. lib. de gramm. et. rhet. pag. XI seqq.) Nam quod dicit, nullam fuisse videri causam, quod Polentonus „scriptores illustres linguae latinae" [196]) perscribens Suetonii de grammaticis ac rhetoribus libros non attigerit illique praecipue de rhetoribus libello pepercerit, ubi oratores tractasset, ipse iam Ritschelius [197]) demonstravit, dubium esse, Polentonum suo in opere de grammaticis et rhetoribus verba fecisse, quippe qui, id si fecisset, certe illos etiam libros delevisset. Pergens autem „Si tamen unam partem combussit, alteram reliquit (Polentonus), quo gentium dicamus, hanc quae erat de grammaticis et rhetoribus delatam, ut novo repertore Henocho opus esset" Osannus videtur omisisse, hanc partem iam multis modis perire potuisse, neque usquam dici, servatam ipsam remansisse. Verum nemo contendit, Henochum eo ipsos, quos Polentonus intactos reliquerit libros reperisse, sed videtur is plane alium invenisse codicem. Quam ob rem etiam cum viro illo docto consentire nequimus dicente: „Si denique ea pars (de grammat. et rhet.) a Siccone non combusta fuit, qui factum sit, ut eae codicis reliquiae nullo tempore a quoquam oculis usurpatae sint, immo vero ad hunc usque diem utique lateant, aegre intelligimus." Profecto ne opus quidem est, spes abiiciatur prorsus fore ut quum alia tum codicis illius reliquiae in lucem aliquando prodeant. Tacite autem (nam equidem ab illo Mommsenium ne nominari quidem memini) Osannus in Mommsenii sententiam pedibus ire videtur confirmans (l. l. p. XII): „duo seculo XV exstiterunt codices." Sed dicto huic addens: „nihil inter se nisi scriptorum auctorem commune habentes, quorum unus Suetoniani operis partem licet imperfectam quae de grammaticis et rhetoribus esset, alter alteram, quae de oratoribus et poetis esset et quae nefando facinore Sicconis suppressa est, complexus esset" plura ille haud scio an contenderit, quam sint contendenda. Nam de codice, quem Sicco suppresserit, manifestum est, praedicari non posse, quae ei quolibet cum alio codice communia fuerint, quae non, nisi quod aeque atque alter ille duos operis Suetoniani libros continebat ideoque ambitu utique non erat isti dissimilis. Profecto forma etiam externa, scripturae genus, alia cur non potuerint codicibus illis communia esse equidem non video. Quid

autem novi vel grave dicatur eo, quod codices illi eiusdem auctoris opera complexi sint, difficile sit intellectu. Quam ob rem videtur sane Osannus plura dicere voluisse, ubi nobis fontibus destitutis nihil certi licet confirmare. Versum ut ipse dicam, quod sentio, sic plane rem accipiendam esse censeo, qualem ex Pontani verbis accipimus nec praeter ea, quae iure inde concludi possunt, concludatur quidquam supra. Pontanus igitur, quum Patavii eam partem operis Suetoniaui, quae erat de oratoribus ac poetis perquisiverit, casu tandem et fortuito „reperit," a Siccone illam combustam esse. Hunc vero iam idem Pontanus de vitis illustrium scriptorum (linguae latinae) loquacissime et ineptissime scripsisse simul comperit. Re vera loquacitas eius eo quodammodo nobis probetur, quod duo et viginti[198]) vel viginti[199]) vel duodeviginti[200]) commemorantur eius libri, ineptissime ipsum scripsisse Paolo Cortesius testatus est, inter alia haec de eo proferens: „alienis verbis sententiisque scripta infarcit et explet sua." Nimirum talem hominem arrogantia ac temeritate, ut Pontanus ait, impulsum esse, ut Suetonii libellos suppNrimeret, facile credatur. Qua quidem in re quam maxime cavisse eum, ne quod fecisset, notum fieret, apertum est neque ideo mirum, quod sero demum atque ut videtur, casu Pontanus quod quaereret, combusisse illum reperit. Se hoc modo Pontani verbis et fidem habens et eam attribuens auctoritatem, ut non existimem, rumorem illum spargere, quem ipse nimis credulus audierit, duos sane exstitisse saec. XV codices inde colligo, quorum alterum Suetonii de poetis atque oratoribus libros continentem Polentonus suppressit, alterum aut imperfectum aut mutilatum, quippe qui quae iam nobis restant, complexus sit, Henochus in lucem protulit.

Verum Suetonii de viris illustribus opus quod Hieronymus commemorat et vidit etiam Ioannes Mansionarius Veronensis (cf. p. 143), idem esse opus arbitror, quod Suidas dixit „στέμμα Ῥωμαίων ἀνδρῶν ἐπισήμων: corona virorum illustrium. "Postquam enim de Caesaribus scripsit, Suetonius fortasse alios quoque viros illustres in animo habuit hominum memoriae tradere.

Est autem in opere isto conscribendo Suetonius quantum videre licet, his fontibus usus:

(1. in libro grammat.) scriptis: L. (Aurelii) Cottae (Messalini): c. 1, Pompeii Lenaei, cuius acerbissimam in Salustium satyram cap. 15 memorat: c. 2, Valerii Catonis: c. 2, 11: „ipse libello cui est titulus Indignatio — ait seqq.," Lenaei Melissi, qui idem fortasse ac C. Melissus, cuius c. 21 libellos ineptiarum „qui nunc Iocorum inscribuntur" memorat: c. 3, Cornelii Nepotis: c. 4, de rhet. c. 3, vit. Ter. 1, 3, (M. Valerii) Messallae Corvini: c. 4, Orbilii (Pupilli): c. 4, 8, 9 (quodam scripto fatetur, ibid. „librum etiam, cui titulus Perialogos, edidit

continentem seqq.," Saevii Nicanoris: c. 5: „fecitque praeter commentarios — satyram quoque, in qua seqq.") Atteii Philologi: c. 7, c. 10, quo bis epist. eius (ad Luciam Hermam) necnon „commentarii" laudantur, Horatii: c. 9 (Epist. II, 1, 70), vit. Hor. „ut ipse tradit" „expressitque (sc. Augustus) elogium cuius initium est seqq." „qualis a se ipso describitur" „Venerunt in manus et elegi sub titulo eius et Epistola prosa oratione — sed utraque falsa puto," Domitii Marsi: c. 9, 16, (M. Furii) Bibaculi: c. 9, 11 (bis), Capitonis Atteii: c. 10, Asinii Pollionis: c. 10, Ticidae: c. 11, Ciceronis: c. 14: epist. ad Dolabellam (ad Div. IX, 10) ibid: ad Attic. (XII, 26) de rhet. c. 2 (ad Marcum Titinium) ibid. c. 5: in Philippicis (II, 17) vit. Ter. c. 5: in Limone, Lucilii: c. 14, Augusti: c. 16, vit. Hor. (Aug. epist. ad Maecenatem: § 2, et ad Horatium: § 4 (bis), 5, 6, 7,[201]) Scribonii Aphrodisi (?), qui Verii de orthographia libro rescripsit: c. 19, (C.) Asinii Galli: c. 22.

(2, in libro de rhetor.): M. Coelii (orat): c. 2. (3, in vit. poetarum): Fenestellae: vit. Ter. c. 1: (Fenestella docet, ibid.: Fenestella arguit), Porcii (Licinii): vit. Ter. c. 1, 5, Volcatii (Sedigiti): vit. Ter. c. 2, 4, 5, (M. Terentii) Varronis: vit. Ter. c. 2, Q. Memmii (orat. pro se): vit. Ter. c. 3, Santrae: vit. Ter. c. 4, Q. Cosconii[202]): vit. Ter. c. 5, Afranii (compital.): vit. Ter. c. 5, Caesaris: vit. Ter. c. 5,[308]) Maecenatis: vit. Hor., Lucani (in praefat. quadam): vit. Luc.

De quibus auctoribus eorumque scriptis cf. in Baumg. Crus. ed. Suet. Tom. III indicem nom. propr., Baehr. et Bernhardy. Hist. litt. Rom. Nonnulis eorum (Cornelio Nep., Messalla Corvin, Asin. Pollione, Cic., Augusto, Fenestella, Caesare) in vitis quoque Caesarum Suetonium usum esse Krausii de font. Suetonii disputatio probat. Denique non omittendum praeter auctores laudatos de rhet. c. 2 senatusconsultum et edictum censorium memorari. Sin autem ea parte operis, quae de poetis erat, Suetonius haud dubie Varronem[203]) maxime et Volcatium Sedigitum secutus est, quorum uterque „de poetis" scripserat,[166]) per totum opus Santrae potissimum, Cornelii Nepotis et Hygini de viris illustribus scripta adhibuisse eum versimillimum est. Quamquam enim Hyginum nusquam fontem suum laudat, huius tamen in opere „de vita rebusque illustrium virorum" (cf. Gell. I, 14, 1, VI, [VII] 1, 2) sive ut ab Asconio citatur „de viris claris" (in edit. Schol. Cic. P. II p. 13) viros quoque in litteris illustres[204]) perscriptos esse ea de causa censeas, quod Hieronymus una cum Hermippi, Antigoni, Carystii, Satyri, Aristoxeni, Varronis, Santrae, Nepotis operibus memorat illud, Suetoniumque Hygini scripta non neglexisse inde facile concludas, quod, ut mox demonstrabimus, eidem, cui ille, se addixerat grammaticorum, ut ita dicam, scholae. Verum numero auctorum, quibus in libello de

grammaticis componendo Tranquillus usus est, iam satis superque perspicuum fit, primum certe Lerschii iudicium minime probandum esse, his quod continetur verbis: „Wenn Sueton sagt: de illust. gramm. c. 2 Crates nostris exemplo fuit ad imitandum und dann diese Nachahmung der Römer auf bloße Vorlesung und Erläuterung der Dichterwerke einschränkt, so müssen wir uns dadurch nicht zu voreilig bestimmen lassen. Es fehlte dem Verfasser jenes Auszugs nicht allein an dem gehörigen Material, sondern auch an dem nothwendigen Scharfblicke (Sprachphilos. Thl. I S. 113). Quod ceteroquin iudicium scriptura nititur haud dubie vitiosa: „Hactenus tamen imitati."

At considerantibus nobis omnium quae nominavimus Suetonii operum inscriptiones, videntur illa quatuor fere digeri posse ordinibus:

I. Opera ad historiam pertinentia: Vitae Caesarum, de regibus libri.

II. ad antiquitates: historia ludicra (de ludis Graecorum, de spectaculis et certaminibus Romanorum), de anno Romanorum, de generibus vestium, de Roma eiusque institutis et moribus, de institutione officiorum, de meretricibns illustribus.

III, ad artem grammaticam: de notis in libris, de republica Ciceroniana, de vocibus ominosis.

IV. ad historiam litterarum: de viris illustribus.

Accedunt „libri Pratorum" sive „de variis rebus" et „de vitiis corporalibus opusculum. Facile vero hac enumeratione perspicuum fit, ad artem poeticam Suetonium omnino non incubuisse, neque etiam merere hunc historici nomen[205]), sed inter grammaticos potius referendum esse.

Videlicet sic iam Suidas eum appellavit[206]) necnon qua idem significabatur, philologi voce Lydus de magistr. I, 34. Quapropter operae certe pretium est, cuius scholae fuerit, investigare. Ut enim inter omnes constat, Alexandrinis, quorum princeps Aristarchus fuit, grammaticis (analogiae faventibus) Pergameni sive, ut Suidas vocat, Κρατήτειοι (anomaliae addicti) se opposuerant.[207]) Jam vero „primus, quantum opinamur, studium grammaticae in urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi aequalis" (Suet. de gr. c. 2). Qui quamquam Romae invenit, qui partes suas sequerentur, mox non defuerint etiam, qui Aristarchi evaderent asseclae, ita tamen, ut inter hos atque illos dissimilitudo Romae nunquam tam manifesta esset, quam apud Graecos. Quodsi in Valerio Catone Bibaculus cor Zenodoti[208]), eicur Cratetis laudaverat (Suet. de gramm. c. 11), Hyginus „studiose et audiit et imitatus est Cornelium Alexandrum" (Suet. de gramm. c. 20) qui erat γραμματικὸς τῶν Κράτητος μαθητῶν (Suid. s. v. Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος), non modo illius libertus „Julius Modestus, in studiis atque doctrina vestigia patroni secutus" (Suet. l. l.), sed etiam Cornutus, qui grammaticus fuit

sectae stoicae (Suet. vit. Pers.), quippe ex qua universa paene Pergamenorum disciplina tanquam ex fonte suo permanavit[209]), atque ipse denique Suetonius sectatores fuerint Cratetis: Tranquillus enim, ut suo loco exposuimus, et Alexandrum in libris de Roma eiusque institutis et moribus, Hyginum in opere de virus illustribus exempla videtur sibi proposuisse ad imitandum, et contra Didymum scripsit, qui erat γραμματικὸς Ἀριστάρχειος (Suid.) Vel etiam si probandum esset, quod Graefenhan. arbitratur: „Sueton muß gegen die Aristarcheer stark eingenommen gewesen sein, da er in seinen Vitae illustr. grammat. der Aristarcheer fast gar nicht gedenkt" (Gesch. d. Philol. im Alterth. T. IV p. 96), haec sola res, ut facile intelligitur, iam satis superque Cratetis vestigia eum secutum esse ostenderet. Sed quemadmodum libro de rhetoribus dicens cap. 1 extr.: „Illustres professores et quorum memoria aliqua exstet, non temere alii reperientur, quam de quibus tradam" monumentum exigere sibi sumpsit partibus suis expletum, haud dubie omnes etiam grammaticos, quorum modo memoria aliqua exstaret, libello suo recensuit[210]) (cf. de gramm. c. 4 extr.: „Clari professores et de quibus prodi possit aliquid duntaxat a nobis, fere hi fuerunt"). Profecto de Remmio Palaemone, qui ut diximus (not. 131) ex Quintiliani loco I, 4, 20 Aristarchi sectam secutus esse videtur[211]), copiose disseruit. Licet vero „Pratorum" inscriptionem a Pamphilo, qui Ἀριστάρχειος erat (cf. Suid. s. v.), mutuatus sit ipsumque Aristarchum, ut videtur, laudaverit (in libro de notis Romanorum, nam haec eius epitomator in Anecdoto[212]): „Unde evenit, ut postea prudentiores viri, quorum summus in hac re fuit Aristarchus, quotiens seqq." quater praeterea Aristarchi rationem habens), Cratetis sectatorem Suetonium fuisse non est profecto cur dubites nobiscum censere.

Adnotationes.

1) Ep. ad Traian. 94, 1. 2) In Thesauro tempp. Lugd. Bat. 1606 p. 143. 3) Scripsit D. G. Moller „Dissert. de Suet." Altorfi 1685, Edm. Burton: „Observations on the character and writings of Suet." in eiusdem: Ancient characters deduced from classical Remains, Cambridge 1763. Neque vero hunc neque alterum lib. mihi contigit noscere. 4) Suet. fiscum dicere mihi videtur, qui intra urbem actus sit. Etsi enim procul dubio ad totum pertinuit imperium Rom., initio Romae tantummodo censum actum esse qui statuat, nihil absoni faciat. Itaque verba „intra urbem", quae in seqq. glossae speciem prae se ferunt, si non quia in cod. optimo (Memmiano) aliisque in codd. non leguntur, delenda sunt, ante „acerbissime actus est" ponere velim. Profecto in provinciis census est etiam minus fortasse acerbe actus. 5) Marcellum, qui aetatis anno XVII obiit, Tac. Ann. I, 3 „admodum adulescentem" Velej. II, 93, 1 „admodum iuvenem" dicit, cf. V. Cl. Haasii ed. Tac. not. 62. 6) Adolescentuli et adolescentis notionibus

scriptt. fere promiscue uti notum est. Adolescentia a sumpta virili toga initium habuit, cf. Val. Max. V, 4, 4 quae etsi nonnunquam prius (cf. Baumg. Crus. ad Suet. Aug. 8 et Weichert: Imp. Caes. Aug. script. rel. p. 9) anno, ut videtur, vicesimo expleto sumi solebat (cf. Suet. Cal. 10). At cf. etiam Plin. Ep. I, 10, 2, I, 18, 3 (Masson vit. Plin. p. 39, 46) Corn. Nep. Attic. II, 1 Sall. Cat. 49, 2, Bremi ad Corn. Nep. Eum. I, 4, 7. 7) Muretum qui Var. Lect. XV, 11 „Suet. Paulin.“ hoc loco legendum esse censuit, Casaub. iam refellit. 8) De voce „lenis“ cf. Doederl. Syn. T. VI p. 192, T. V p. 3. Ramshorn Syn. n. 207. Ad vocem „tranquillus“ non est quidem dubium Ramshorn. quin rectissime haec annotaverit: „statt tragillus mit eingeschob. n vor dem verhärteten Gaumenlaut“ (n, 1118), sed male eam (ad Prolegg. XII, 1 p. LXIX nos remittens) inter deminutiva in „illus“ exeuntia videtur referre: quantillus, tantillus. Verum quemadmodum Schweizer (Ztschr. für vergl. Sprachforschg. herausg. von Dr. Aufrecht und Dr. Kuhn Berlin 1852 p. 512) „camillus“ vocabulum ex camulus (casmulus) vel potius cammulus ortum esse censuit, distinguens in eo radicem „cam (graece γαμ, unde γαμέω) a „mulus“ „suffixo sic tragillus ex traculus (cf. Dederl. T. I p. 82) ita ortum esse arbitror, ut idem suffixum a radice „trac“ secernendum sit, quae in perfecto tempore verbi „trahere (tracsi, traxi) dilucide apparet. Ab hoc igitur verbo Doederl. vocem tranquillus recte videtur derivasse significare eam contendens: „zugweise und stätig, nicht stoßweise und stürmisch.“ Profecto quis est qui neget, id quod uno eodemque aequabili tractu permaneat, mox quietis speciem praebere aut a motione certe videri abhorrere? Sic vero quod in plurimis aliis, id facillime hac in voce factum est: ut quod visu perceptum sit, ad auditum transferretur (cf. Virg. Aen. V, 127: tranquillo silet) atque ideo significaret illa et motionis, quae soni est, defectum. Utriusque significationis rationem his sufficiat probare exemplis: Cic. Tusc. V, 6, 16 (cf. Cic. de off. I, 20) Capitol. Marc. Anton. c. 16 Plaut. Capt. IV, 2, 85. Quod ad cognationem attinet lenis et tranquillus notionum Doederl. T. I p. 82 haud incommode haec monuit: „Wer kann die Aehnlichkeit oder fast Gleichheit der Begriffe verkennen, wenn man Cic. Orat. 28, 99 liest.“ Adde Curt. IV, 2. 8, Tertull. de spect. c, 15. 9. cf. Lips. et Ernest. ad Tac. Ann. IX, 4. 10) Quem ideo non modo secutus est, sed antecessit etiam eiusdem nominis scriptor. Nam C. Suet. Paulin. Plinio teste (hist. nat. V, 1, 14 cf. Solin, c. 7) de excelsitate Atlantis scripserat, quamquam quae ilie protulit, nil nisi ad senatum erant fortasse publice relata (Bernhardy Röm. Litgesch. p. 532 ed. II). 11) cf. Dial. de Orat. c. 35. 12) cf. Plin. Ep. IV, 11, 2. 13) cf. Clerici art. crit. Amstel. 1730 T. I p. 345. 14) Quibus verbis. vocem „contubernalis“ Ep. I, 24, 1 ita, ut fecimus, interpretandum esse, de convictu scil. et consuetudine quotidiana amicorum confirmatur; cf. Veget. II, 13 Manut. ad Cic. ad Div. V, 20 Sigon. de antiq. iur. prov. II, 2 et Excurs. quem Gierig. et Plin. Epist. T. II p. 545 adiecit. 15) cf. Lips. Excurs, ad Tac. Ann. III, 25 Heinecc. Synt. Antiq. Rom. I, 13, 22, I, 25, 8, 9 Walter Gesch. d. Röm. Rechts Bonn 1837 p. 358. 16) Cf. potissimum § 4 l. l. 17) Huius, non desidiae nomen, ut secessus sui acciperent. Plin. Ep. IV, 23, 4 optavit. 18) cf. de hoc officio Corp. iuris übersetzt von Otto, Schilling u. Sintenis

T. VII p. 1089. Eutrop. Constantino, qui Magnus fertus, ab epistolis fuit. 19) Eo facilius enim posset quis putare, Suet. adulterium admisisse, quo magis Niebuhrii iudicium arrideat: „Sueton war ohne Zweifel von dem lasterhaften Charakter seines Zeitalters angesteckt (Röm. Gesch. 5 Thl. Jena 1845 p. 253). Quamquam huius rei quo nititur ille argumentum est sane minus probandum. Nam pergit ita: „denn er findet augenscheinlich daran Gefallen, bei Schilderung der Handlungen des Caligula zu verweilen.“ Ut vero exempli gratia vitam Caesaris et vitam Augusti ita in duas partes dividere possis, ut altera de publica, altera de vita privata utriusque imperatoris sermonem esse dicas (cf. Caes. c. 44, Aug. c. 61), sic etiam vitam Caligulae, cuius nimirum res privatim gestae non nisi vitiis continebantur. Initio enim cap. 22 Suet.: „Hactenus, ait, quasi de principe: reliqua, ut de monstro, narranda sunt.“ Sin autem inde ab hoc capite usque ac caput 42 libidinem, saevitiam, crudelitatem cetera Calig. vitia exsequitur, nonne totidem ac vel etiam pluribus cap. (c. 42—67) de Tiberii vitiis retulit eiusque potissimum crudelitatem inde a c. 51 tam accurate enarravit, ut ubi dicit deinde (c. 61), Tiberium mox in omne genus crudelitatis erupisse. iam ita ipse sentiat: „singillatim crudeliter facta eius exequi longum est: generatim, velut exemplaria saevitiae enumerare sat erit“? Licuerit vero Suetonio inde a vita Caligulae conscribenda fama uti sermone hominum tradita (cf. cap. 19: avum meum narrantem puer audiebam seqq.) neque ideo mirum, si paulo latius se fuderit. 20) Aßmann: Hdbch. d. allgem. Gesch. T. I p. 313: Seine Eifersucht auf diejenigen, die s. Verdienste zu verdunkeln schienen, ging selbst soweit, daß er (Hadrian) nur wenige tüchtige Leute in s. Nähe litt, ja mehrere, die er für gefährl. Nebenbuhler hielt, aus d. Wege räumte. 21) Suet. scripta certe Frontoni non incognita fuisse, huius epist. ad amic. I, 16 probat, de qua p. 22 diximus. 22) cf. Suid. ed Bernh. T. I p. LI. 23) cf. Harless ad Demosth. de cor, p. 129 not. 69. 24) cf. Athen. XI, 479 XV. 666 e. eosque ad loc. Intpp. Suid. s. v. κοτταβίζειν et κότταβος, Wachsmuth Hell. Alterthsk. II, p. 404. 25) Curt. V, 1, 37, VI, 2, 6, VIII, 4, 29, VIII, 6, 14. 26) Analect. Alexandr. Berol. 1843 p. 132. 27) Quod addubitare quis posset, quia nusquam Suet. graecos homines testes laudavit, nisi quod Caes. 52, quae „nonnulli Graecorum“ tradiderint, memoriae tradit. 28) cf. Hertz: Sinn. Capito eine Abhdlg. zur Gesch. d. Röm. Gramm. p. 18 sqq. „Sinnii“ in Lactant. Instit. div. legit etiam Lips de amphith. c. 4 extr. 29) Cf. quae Hertz. p. 21 dicit: Sinnius zog gerade jene scen. und circens. Dinge mit Vorliebe in den Kreis s. Betrachtg. cum iis, quae p. 13 de indole operis Suet. diximus. 30) Quod discrimen ad Rom. solum theatra pertinere notum est, cf. O. Muell. Hist. litt. Graec. T. II p. 61. Et quidem scenam „versatilem fecerunt Luculli“ Val. Max. II, 4, 6. 31) cf. Ant. Goebel: de Troiae ludo Düren 1852. De Pyrricha cf. Wachsmuth Hell. Alterthsk. II p. 366, 736. Fragm. Suet. mentionem fecit Polyd. Virgilius de rerum inventoribus, Basil. 1557 p. 160. 32) Sic scribendum esse, non: Bacchus, ipse Horat. verus docet, ad quem vide Erasm. Roterod. in Chiliad. adnot. 33) Errat igitur Baehr (hist. litt. Rom. ed. III, T. II, p. 160) historiam ludicram idem opus habens atque illud de ludis Graec., quod uno tantum libro continebatur.

34) De hoc copiose disseruit Scalig. ad Euseb. n. 1995. 35) cf. Serv. ad Virg. Aen. IX, 618, Dac. in Paul. Diac. Excerpt. s. v. Dextrarum tibiarum (Lindem. corp. gramm. lat. t. II, p. 406). 36) Ex Suet. opere haec esse Ambroschius, Vir Cl. iam animadvertit in Quaest. Pontif. cap. II, Ind. Schol. Univ. Vratisl. aest. 1850, p. 4, n. 53. 37) Sunt haec et quae equidem in seqq. uncis inclusi, a Tertull., ut arbitror, adiecta. 38) Quae ad verbum fere Isid. excripsit Origg. XVIII, 16. 39) cf. Tertull. de spect. c. 10. 40) cf. Isid. l. l. 41) cf. Tertull. ad nat. II, 11: „a consiliis Consum" Epist. ignoti auct. de spect., quae inter Cypriani vulgo habetur p. 3 ed. Oxon., Arnob. 3, 23, Oehler ad Tertull. l. l. (p. 377 not. s.) 42) cf. Liv. I, 9 Val. Max. II, 4, 4. In Suet. vit. Terent. c. 4 consualibus non „consularibus legendum esse Muret. coniecit. 43) Repetiit haec Isid. Origg. XVIII, 28. 44) De ovis plane eadem refert Isid. Origg. XVIII, 19. 45) cf. Isid. Origg. XVIII, 17, 36. 46) cf. Isid. Origg. XVIII, 34. 47) Et quatuor aurigarum necnon spectatorum illorum partes sequentium factiones fuisse, albam, russatam, venetam, prasinam satis inter omnes constat. 48) cf. Isid. Origg. XVIII, 33 et 41 quem alterum locum Hrab. Maurus de Universo XX, 35 exscripsit. 49) Designatores appellati sunt praefecti ludorum funebrium, cf. Hor. Epist. I, 7, 6 eumque ad locum Sabellici adnot. 50) cf. Isid. Origg. XVIII, 51. 51) Quo ex loco Allixius Tertull. librum de spect. non Romae sed Carthagine scriptum esse conclusit, cf. Dissert. de Tertull. auctore Kaye in ed. Oehl. T. III, p. 717, not. d. 52) Perperam, ut videtur, ludos gladiatorios, qui sunt e funebribus Etruscorum orti, Merkel. (ed. Ovid. Fast. p. CLXI) circensibus Varronem aecensuisse existimavit. Suetonium quidem in opere suo illos enarrasse quum p. 9, tum p. 13 cur putandum sit, demonstravimus. 53) Qui c. 1 hoc, inquit, cum maxime paramus demonstrare seqq. Iam vero facile lib. eius duas in partes dispescere poteris, nam cf. quae dicit c. 14 init. Prima igitur parte spectacula idololatria coinquinata, altera damnata esse probat, quia vetitae concupiscentiae. Verum „principalis titulus idololatriae" (cap. 15) historico magis nititur fundamento, secunda pars, qua „reliquas ipsarum rerum qualitates contrarias omnes dei" se laturum esse promittit (l. l.), disputatione continetur theologica vel, si quidem id dici mavis, philosophica. Quapropter equidem omittens hanc alteram partem continuo ad compositionem accedo prioris exponendam. Et quidem ipse Tertull. c. 4: „Commemorabimus, inquit, origines singulorum (sc. spectac.), quibus in cunabulis in saeculo adoleverint, exinde titulos quorundam, quibus nominibus nuncupentur, exinde apparatus, quibus superstitionibus instruantur, tum loca, quibus praesidibus dicentur, tum artes, quibus auctoribus deputentur" (cf. cap. 13.) Neque tamen primaria haec libelli dispositio, scd alii subiecta. Finito enim exordio (c. 1—4) utriusque generis ludorum, circens. et theatral., communem esse originem (cap. 5), communes titulos (c. 6) apparatus (c. 7) communes exposuit (cf. c. 7 init., c. 6: utriusque generes ludi). Sed c. 7 ad ludos transiit, ut ipse c. 10 monet, circenses eorumque de locis (c. 8) necnon de artificio disputans, quo exhibeantur (c. 9), duobus cap. circum idololatria conspurcatum demonstravit. Iam cap. 10 ad scenicas res se transire dicit, quarum quum et originem communem et titulos pares" ostenderit, „apparatus etiam ex parte consortes" notasse sat habens „ad scenicos ludos de loco" (sic enim legendum

esse coniicio pro „a loci“) dirigit. Postquam autem et theatrum idololatria conspurcatum probavit, c. 11 „ineamus, inquit, etiam agonum retractum.“ In quo conficiendo non minus disputandi quem instituit ordinem (orig., titul., apparat., locor., artium expositionem) retinuit, quam in tractando funeris munere (cap. 12). 54) cf. Varr. de l. l. 7, 5 Gell. 13, 11 Tertull. de spect. 5: eum lusum iuvenum et diebus festis et templis et religionibus reputat (sc. Varr.), Lersch Sprachphilos. II, S. 144. 55) Quos lib. Charis. et Serv. (ad Georg. I, 19 atque etiam fortasse ad Aen. X, 894 cf. Ritschl. in Mus. Rhen. a. 1848 p. 517 et p. 541) laudarunt. Et probantur quidem eorum tituli scriptorum Varronis, quem Hieronym. confecit indice, quo qui praeterea lib. ad rem scenicam pertinentes nominentur (perennis videlicet fons Sinn. Capitoni et Suet. exhauriendus) animadvertendum (cf. Ritschl. l. l. p. 561 seqq.) 56) Cum Fulvio Cedren. (p. 148 ed. Paris.) et Suid. s. v. Νουμᾶς Πομπίλιος consentiunt; de Gracchano cf. Hertz. de Cinc. p. 88, Mercklin: de I. Grach. Dorpat 1840. 57) De huius „de notis Roman. interpretandis“ lib. cf. Osann. Beitr. zur gr. u. Röm. Litgesch. T. II, p. 260—68. 58) De quibus vide Epiphan., ἐν τῷ περὶ μέτρων. 60) De quo cf. Suid. s. v. Δίδυμος Διδύμου seqq. Adde ad Bernh. not. Macrob. V, 18 et 22. Fragmenta Didymi ed. M. Schmidt Lips. 1854, 61) Zeitschr. für Alterthsw. 1845, p. 125. 62) Qui libri de comparatione patris et Cic. erant, cf. Plin. Ep. VII, 4, 3 Gell. XVII, 1, 1. 63) In Iahn. Annal. T. suppl. XIII p. 117 seqq. 64) Gesch. d. klass. Philol. im Alterth., Bd. 4, p. 235, 236. 65) Quem non sine causa videtur invertisse. Sed nescio an fuerit etiam demonstrandum, quae ratio inter opus de nominibus propr. et de vocibus ominosis intercedat. 66) Quae paulo aliter, quam Suet., Scalig. ad Fest. s. v. Trossuli (Lindem. corp. gramm. lat. T. II, p. 740) exposuit. 67) Cf. Isid. Origg. XIX, 24, 8 quae sunt Cornuti ad Pers. Sat. III. 28 nisi quod is nobiles dicit, Isid. reges; cf. Plin. VIII, 48, 74 et vide not. 118. 68) „Eine onomatolog. Zusammenstellg. der Kleidungsstücke mit kurzer Angabe ihrer Verschiedenh.“ 69) Cf. Serv. ad Aen. VIII, 644 X, 270 XII, 492 Liv. VI, 41 Gell. X, 15, 17 Tertull. de pall. c. 4 Paul. Diac. s. v. apex. 70) Cf. Varr. de l. l. VII 44 s. v. Tutulati. Fest. s. v. Tutulum, Fulgent: quid sit tutulus. 71) Cf. Serv. ad Virg. Aen. VII, 688, Gell. X, 15, 32. 72) Corp. gr. lat. T. II, p. 560. 73) De Sidonio aliquo cf. Osann, Beitr. T. II, p. 316. 74) Scripsit Otto (in Lindem. l. l. T. III, p. 610) „sutile“ et „galearium.“ 75) Isid. ed. Arev. T. IV, p. 649. 76) Ad Aen. X, 270. 77) Cf. Ios. Scalig. in Scaligeranis s. v. Isid., Brucker hist. crit. philos. T. III, p. 569. 78) Cf. quae p. 24 dixi. 79) Gaisford. Τραγκύλλων scribens „Mox nescio, ait, an leg. Τράγκυλλος.“ Nihilominus in indice auct. Τράγκυλλος nomen reposuit. 80) De qua ita statuit: „explicantur nomina, quibus initio alia erat significatio, quam deinde.“ 81) Polemon. fragm., Lips. 1838. p. 114. 82) Acta Soc. Graec. Lips. 1840 T. II, p. 310. 83) Similia sunt, quae in Hom. Odyss. 18, 117 et 20, 120 leguntur. 84) Cf. quae p. 8 commemoravi Eustath. verba. 85) Nam non solum, quod dicitur Vulgarsprache, Lavinium tractasse cum Lersch. (Sprachphilos. T. III, p. 156) et Bernhardyo (Hist. litt. Rom. ed. III, p. 321) existimo, sed Graefenhano assentior dicenti (Gesch. d. Philol. T. II, p. 330): Lavin. „de verb. sordidis“ unter denen wohl nicht bloß veraltete, sondern auch wirklich gegen den Anstand und guten Geschmack ver-

stoßende Ausdrücke sind. Cf. ibid. T. IV, p. 232 et in Jahn. Annal. T. suppl. XIII, p. 118. 86) Observ. in Suet. ed. Mueller Lips. 1819, p. 253. 87) Biblioth. lat. p. 500. 88) Cf. praecipue Ulrici Charakteristik d. antik. Historiographie, Berlin 1833, p. 153, Bernhardy Röm. Litgesch., p. 562. Niebuhr: histor. u. philol. Vorträge (herausg. von Dr. Isler, I. Abthlg., 3 Bd., p. 163, 177, 193, 203. 89) Haud male Lud. Vives sic tria inscripsit cap., quibus locum explere studuit (Suet. ed. Pulmanni Antverp. 1574, p. 29 seqq.) 90) Adde testimonium glossar. quod p. 38 posui. 91) Röm. Gesch., Jena 1845, Thl. 5, p. 284. 92) Vortr. l. l. p. 203, 93) Abhandlgn. d. Berl. Akad. d. Wissensch., 1848, p. 44. 94) De Suet. Tranq. font. et auct. Berol. 1831, p. 4 seqq. 95) De font. seqq. Goetting. 1830, p. 4. 96) Omnes enim, ut Masson. ostendit Plin. epist. inter ann. 36tum et 55tum aetatis Plin. sive 98vum et 117mum post Chr. scriptae sunt. 97) Cf. etiam Söltl: Götting., Gelehrte Anz. 1825, Nro. 135. Prutz: de font. quos auctt. vett. secuti videantur, Hal. 1838. 98) Archiv f. Gesch. u. Lit. von Schlosser u. Bercht, Frankf. a. M. 1830, T. I, p. 95. 99) Quod ad Tac. cf. Bernh. Röm. Litgesch. ed. III, S. 75 et V. Cl. Haasii ed. Tac. Lips. 1855, T. I, p. LV adnot. 291. 100) De font. Suet. p. 53. 101) Abhandlgn. d. Berl. Acad. 1848 p. 59. Cf. p. 54: „die Eigenthümlichkeit u. s. w." 102) Röm. Gesch. p. 233 cf. Vortr. I p. 164, 177. 103) Vortr. l. l. p. 164. 104) vid. not. 19 et adde: Ner. c. 19, Caes. 34, Aug. c. 9. 105) L. l. p. 59: „Nunmehr ist auch der Verknüpfung zu gedenken, die den in jeder einzelnen Lebensbeschreibung wiederkehrenden Schematismus hervorgerufen. Sed p. 54 haec dixit: „die Sonderung der zu berichtenden Thatsachen nach den Gegenständen hat ein ziemlich einförmiges System gruppenweiser Zusammenstellung erzeugt." 106) Röm. Gesch. p. 284 Vortr. I, 3 p. 203. 107) Vort. l. l. p. 203, p. 193. 108) Athenäum Bd. I, St. 2 p. 43. 109) Röm. Litgesch. p. 562. 110). Qui sunt Paulini Aquitan. (Nolani), cf. Voss. de List. lat. II, c. 12. 111) Perperam Graefenh. ut de genere vestium, sic de vitiis corporal. non lib., sed cap. tantum operis de rebus variis exstitisse contendit: Jahn's Jahrb. Suppl. Bd. XIII, p. 118, Gesch. d. Philol. T. IV, p. 87 et 236. 112) Falso Wolf. et B. Crus. lib. III nominant. 113) Quod fragm. Otto (Lindem. corp. gr. lat. l. l.) „in opere grammatico deperdito" legi putavit. Idem habet Hrab. Maur. de Univ. c. 8 p. 124 (scil. ex Isid.) 114) Hos aeque ac Varr. et Ateii Capit. libros Mercklin. in Philol. Schneidew. T. IV. p. 425 et 429 inter Rom. „politicae" Tuberonis, ut par est, inter „isagoges iuris" scripta (p. 432 seqq.) retulit. Suet. etiam lib. ad polit., aut potius „administrativam" isagogen referendum esse cuivis facile patet. Ut enim Frontin. commentarium se composuisse dicit (in prooem. lib. de aquaeduct.) quem „pro formula administrationis" respicere posset, ita Suet. maxime institutionis gratia lib. istum confecisse iam probat eius inscriptio. 115) Recte Mercklin. l. l. p. 126: „Mit d. Kaiserzeit treten natürlich d. prakt. Tendenzen auf d. polit. Gebiet hinter theoret. u. histor. Gesichtspunkten zurück. 116) Gracchus et Liv. Drusus vel etiam amicos primi coeperunt in classes quasdam redigere, id quod etiam Tiber. Caes. imitatus est, cf. Senec. de benef. VI, 34, 2 Lips. ad Tac. Ann. VI, 9. Vopisc. vit. Aurel. c. 12: „magister admissionum Valeriani Princ. fuit" (sc. Acholius). Cf. Walter Gesch. d. Röm. Rechts p. 364. 117) Cf. Euseb. n. 1375. 118) Cf. Plin. IX, 39, 63. Romulum Ovid.

Met. 14, 828 trabeatum Quirinum vocat; vide not. 67. 119) Cf. Dorvill. in Charit. p. 385. 120) Cf. Prisc. de vers. Aen. c. 7, Ovid. Fast. I, 46. 121) Krehl. „Plures codd. lectoria." Sed legis Laetoriae a. 490 a M. Laetorio Planciano, trib. pl. latae Cic. de Off. III, 15, de nat. deor. III, 30 Capitol. vit. Marc. Ant. c. 10 meminerunt, cf. Baiter. ind. legg. in Onomast. Tull. III, p, 231. Walter l. l. p. 583. 122) Perperam Salmas. „quod Pratum, inquit, inter latinas refert inscriptiones, puto esse interpretationem Graecae Λειμὼν." Quem enim in finem unius vocis Λειμὼν interpretatio in medium proferretur? Necnon ceterarum latin· inscript., quarum omnino auctorem noscimus, scriptorem Rom. auctorem vocare licet, 123) Quod cap. e lib. ms. Oxon. Gronov. retulit. Loco, quem obtinet in Isid. lib., primum prodiit ed. Arev. (T. VII p. 57) qui de ipso verba fecit T. I p. 663. Quum in aliis, tum quod maxime dolendum, in cod. Bamberg. vetustissimo desideratur, quem Vir Cl. Haase in Prog. Univ. Vratil. 1852 foras edito fusius descripsit cuiusque benignissime mecum communicavit collationem. Sequitur enim in hoc lib. ms. post c. XLIII nullo relicto spatio quod est in ed. Arev. c. XLV. Studuerunt fragment. emendare O. Muell. in calce ed. Fest., Langensiepen. in Mus. Rhen. a. 1847 p. 246 seqq. 124) Ita cod. Oxon., quem ideo scripturae „in pratis" favere liquet, id quod etiam contendere possis de cod. Bamb., qui c. 38 in voce Pratis literam a erasam et mox post primam literam habet suprascriptam. 125) Sic iam coniecerat Grialius (cf. Arev. adnot. p. 52 et 58). Alii „in Parergis" vel „in Aratae is." 126) Cod. Bamb. „in" addit et mox „ut" omisit. Cf. Isid. de diff. verb. n. 250 (ed. Arev. t. V p. 33), Varr. de ling. lat. VI, 29 et 53 et vide not. 120. 127) cf. Isid. Origg. VIII, 11, 12. 128) Cf. Vir. Cl. Haase in Ersch. u. Gruber Encycl. Sect. III Bd. IX p. 286 seqq. Jahn in Prolegg. in Pers. p. VI sqq- Graefenhan. Gesch. d. Philol. T. VI p. 72. Lersch Sprach-Philosophie II, p. 153 seqq. 129) Cf. Osann.: Beiträge &c. T. II p. 253 (qui dicens p. 254 adnot.: Suid. bezeichnete die Schrift Pratum schon mit dem Namen λειμών nisi me ipsum omnia fallunt, valde erravit), Hermann: disput. de script. illustr., quorum temp. Hieron. ad Euseb. Chron. annotavit, Gotting. 1848 p. 33 n. 85. 130) Studuit enim Hand. inc. auct. lib. ex illo Palaemoni adscripto emendare quippe qui multis in locis ita cum isto congruat, ut eodem ex fonte utrumque fluxisse statuendum sit. Ignoravit autem vir ille doctissimus, inc. auct. diff. inter illas iam legi, quas Arev. ed. Isid. opp. (T. VII p. 426 seqq.) ex ed. Paris. repetiit et hunc quoque lib. ad illum emendandum haud incommode adhiberi posse. Quae ordinem indicantes quo apud Arev. diff. inc. auct. legantur. suo loco ac tempore comprobabimus. Hic enim nil nisi id monere licet, nôn modo, ut diximus, diff. auct. inc. et diff. Palaemoni adscriptas necnon, ut iam per se intelligitur, diff., quas Arev. ed. Isid. l. l., sed etiam quae ibid. in adnot. legantur e cod. Vatic. 624, uno omnes eodemque ex fonte fluxisse nec dubium esse, quin in quolibet quatuor istorum lib. collectanea habeamus ex ipsius Palaem. diff. olim facta, sed interpolata maxime ac labe quavis, quae a librariis et optimo cuique cod. solebat proficisci, infecta. Nimirum unus illorum Palaemonis, ut vidimus (p. 27), nomen prae se fert, lib. inc. auct. in fine verba habet: „Palaemon occetenus (lege Vicetinus) seqq., quae verba, quod Hand. non debuit ignorare, ex Hieron. Chron. (n. 2064, non ex Frontone, ut Scalig. ad l. l. et Ritschl. Parerg. p. 626 not. putarunt) hausta sunt, unde etiam Isid. procul dubio ea decerpsit (de diff.

verb. n, 534 ed. Arev. **T. V.**) eandem inter stillam et guttam diff. (vide p. 40) omisso Palaem. nomine Origg. XIII, 20, 5 in medium proferens. Quamquam enim Isidorum Suet. Pratis usum esse e locis apparuit, quos p. 25 seqq. memoravimus, non tamen ex his ipsis hunc verba illa hausisse ea de causa existimandum videtur, quod quum in diff. suis (T. V ed. Arev.) et desint multae, quas inter Palaemoni adscriptas et auct. inc. diff. legimus, et ubi eadem in medium proferuntur synonyma, plane aliter haec explicantur, Isidorus (quem vere modo diff. ab Arev. **t. V** editarum auctorem habemus) alios videtur auctores secutos esse (Agroetium. Frontonem, Charisium). 131) Ex Quintil. I, 4, 20 Palaemon adversam grammaticorum sectam, Aristarchi, videtur secutus esse. 132) cf. Osann. Beitr. p. 254. 133) Haud incommode mihi videor monere, Appuleium „Florida" scripsisse. 134) Mercklin. inter scriptorum hoc genus, quod dicit allgemeinwissenschaftliche Isagogik (Lesefrüchte d. mannigfaltigsten Art) nominato Gell. opere summo iure retulit etiam Macrob. Saturnal. (Philol. Schneidew. IV p. 428 (corrige 436). 135) Haec verba uncis inclusi, quia haud dubie Charis. sunt. 136) cf. Prisc. de pond. p. 1350. 137) cf. Fest. s. v. Nummum. 138) cf. Fest. s. v. Ratitum. 139) cf. Isid. Origg. XI, 1, 64, quae sunt e Serv. in Virg. Georg. III, 355. 140) Inseruit hoc fragm. Hrab. Maur. de arte gramm. T. I pag. 46 in cap. „de vi ac varia potestate metrorum" ad verbum ex Diomed. lib. III sumptum itemque in c. 2 „de Universo" lib. p. 203. Sed pendet ex Isid. Ex Suet. de poetis lib. cum casaub. et I. Ger. Vossio (Instit. poet. II c. 2I) id ductum putarunt Baehr. Hist. litt. Rom. T. II p. 164 Osann. (ed. Suet. de gramm. et. rhet. p. IV not. 141) Bene Lersch (Sprachphil. III p. 139) haec dicit: Isid., der aus zweiter, dritter, vielleicht sogar vierter Hand zu schöpfen pflegt, ist ein zu verdächtiger Gewährsmann, als daß man nicht alle Vorsicht anwenden sollte", vid. not. 22. 142) cf. quae diximus p. 18. 143) De Ventid. Basso cf. Drumann (hist. Rom. I p. 439 not. (71, 72) 76 et p. 446 not. 9). 144) Cf. Weichert: Imp. Caes. Aug. script. rel. Grimmae 1546 p. 161. At sunt verba illa ex eadem fortasse ad Virg. epist. sumta, ex qua Prisc. X, 8 haec habet: Excurristi a Neapoli (Weichert p. I59). 145) Vide quae infra de Varr., Suet. fonte disputabimus. 146) Qui liber quem habuerit finem, Itiner. Alex. 6 docet, cf. Ritschl. Mus. Rhen. 1848 p. 532 (et 33) Bernhardy hist. litt. Rom. not. 519. 147) Male igitur Graefenh. Gesch. der Philol. T. VI. p. 87, 233 in scriptura acquiescit: „de omnibus maris ac fluminum partibus." 148) Et § 1 et 2 Hrab. Maur. de Univ. IX, 7, Origg. XIII, 21, 2, locum mox commemorandum XI, 10 p. 166 ex Isid. exscripsit. 149) cf. Tert. ad Virg. Aen. II, 23. 150) De quo cf. Lindem. T. II praef. p. XIII. 151) Atque ita videtur etiam in Isid. l. l. legendum. 152) Cf. Palaeph. de incred. c. 45, O. Jahn in Act. Soc. Saxon. a. 1855; commemorant Herculis servitium Aesch. Agam. 1038 Soph. Trach. 248. 153) Cf. Muell. Kl. d. Schr. 2 S. 101 aut Mus. Rhen. 1829, S. 22. 154) Cf. Philol. Schneidew. t. II, p. 304. 155) Qui ipse eadem de re ad Virg. Aen. I, 292 se dixisse monet. 156) Cf. Paul. Diac. p. 39 ed. Muell. 157) Legitur etiam in Caes. ed. Strada Francof. 1575, ed. Lugd. 1560, 1565 (quibus praefatus est J. Jucundus Veron.) cf. de ed. Stephan. et de Frellon. (Lugd. 1560) Schneideri V. Cl. ed. p. 48 praef. 158) Porrigitur quidem tota Epit. apud Oros. inde a. c. VII

usque ad c. XVII lib. I., non est tamen Oros., sed iure Eutrop. videtur auctor nominari. Quae enim ab Oros. manifesta sunt addita, in Epit. desunt, contra in Oros. nonnulla desiderantur, quae in Epit. exstant atque iisdem verbis in Eutrop. Brev. leguntur. Quodsi Moerner (de Oros. vit. Berol. 1844) Oros. lib. VI c. 7 — 11 Caes. maxime et Hirt. (lib. VIII) de b. G. commentarios, seqq. cap. (11—17) Eutrop. et Liv. fontes fuisse ostendit (p. 149—52, p. 146, p. 135, p. 162) haec omnia quin in Eutrop. cadant, cuius solam Epit. illam Oros. adhibuerit, equidem non dubito, quamquam in ceteris ab Oros. auctt. illos adhibitos esse non ignoro. [Cui etiam Suet. fontem fuisse non est, qui neget, etsi Beck., incredibile dictu, de Oros. font. et auct. disserens (Marburgi Hassor 1832) ne verbo quidem hoc memorat. Ipse enim Oros. Tranquillum nominat VI, 7 p. 386, 21 p. 447, VII, 3 p. 458, VII, 6 p. 468 ibid. p. 469, VII, 9 p. 479 ibid. p. 480.] Eutrop. vero epitomen in breviarium contraxisse, cuius gratia nescio an illam congesserit, credibile est. 159) Ut exempli gratia in cod. Hamburg. (cf. V. Cl. Schneideri in Caes. comment. praef. p. 39) lib. VII et VIII fine et in cod. Bongars. primo (cf. Caes. et Nipperd. p, 36.) 160 Cf. Caes. ed Moebii T. II, p. 271. 161) Mecum facere video Nipperdeium (ed. Caes. p. 36 et 37.) 162) Non defuit, qui etiam a Lact. I, 10 Suetonii de vir. illustr. opus dici putaret (Xyst. Betuleius in ed. Lact.) pro „Tarquitius" Tranquilli nomen reponens. Sed est haud dubie, quod Buenemann. fecit, Voss. iudicium probandum (de hist. lat. I, 31) qui recte ibi „Tarquitius" legi demonstravit, eiusd. auct. nomen, quem nominent Amm. Marcell. 25, 6 Plin. in indice lib. II, Macrob. II, 16, III, 7 atque etiam, ut puto Virg. Cat. 7, 3 Lydus de ost. c. 2, Festus s. v. Ratitum [nisi forte huius in verbis „Tranquillus in libro quem inscripsit de rebus variis — et Opilius Aurelius" (cf. Suet. de gr. c. 6) legendum.] 163) Ut fecit Baumg. Crus. T. I, p. L: „Plin. vit. et lib. de vir. illustr. Suetonio praeter rem tributa" exscribens deinde Fabric. verba (bibl. lat. p. 496) Aurel. Vict. lib. spectantia. 164) Aut potius ex alio tantum Suet. opere, e Pratis, videntur esse addita, cf. quae dixi p. 28. 165) Quem inter grammat. potius locum obtinere debuisse summo iure Herm. censuit l. l. p. 62 n. 65. 166) Quamquam enim „plerique oratorum etiam declamationes ediderunt" (Suet. de rhet. c. 1), multo maius certe inter oratores et declamatores discrimen est, quam ut hos omnino in Suet. lib. de illis conscripto recensitos esse putare possimus. 167) Nisi quod Theod. Gadareum hic commemorat Tib. 57. 168) Cf., quae infra de Eutrop. dicta sunt. 169) Quo impliciti Vincent Bellov. (cf. c. 66 et 67) et Walther Burley in vit. philos. et poet. Plinios inter se confuderunt. 170) Scripsit Plin. maior praeter bellorum Germaniae lib. XX (Tac. Ann. I, 69) et a fine Aufid. Bassi lib. XXXI, quos vocavit: „hist. tempp. meorum" (nat. hist. praef. 15, II, 85. 106 Tac. Ann. XV, 53 Hist. III, 28), de vit. Pompon. Secundi lib. II (nat. hist. 16, 4.) 171) Scalig. „monumenta" scripsit. 172) Cf. Westerhovii ed. Terent. T. I, p. XXVII, Ritschl. in Mus. Rhen. 1841 T. I, 1. Nic. Fritsch: Suet. vit. Ter. emend. et illustr. Bonn. 1852. 173) Plaut. fr. p. 37 seqq. 174) Invidia hanc prorsus carere, non est, vereor, qui contendat, quamquam et contra Neronem Lucan. incensum fuisse ob poet. maxime aemulationem et prodidisse eum matrem Aciliam etiam Tac. Ann. XV, 49, 56, 57 narrat necnon Luc. poemata vituperant Quintil. X, 1, 90 Petron. 118

Fronto de orat. p. 125 ed. Nieb. Serv. ad Virg. Aen. I, 382 quem exscripsit Isid, Orig. VIII, 7, 10. Quapropter minus probanda videntur, quae dicit Jahn. Prolegg. ad Pers. p. 34. Retulit e vit. Luc. Jos. Scal. Comment. in Culicem Virg. p. 3 nonnulla. 175) Additamenta edid. Dorpat 1827. 176) Minus recte Franckius p. 12 Hieron. non professum esse contendit, se ducem secutum esse Suet., cf. enim quae p. 40 in medium protulimus. 178) De quibus verb. quae Bergk. Ztschr. f. Alterhsw. contra Osann. (praef. ed. Corn. de nat. deor. p. 69 disputavit cui perperam Graefenh. (Gesch. d. Philol. T. IV, p. 287) assentitur, probanda videntur. 178) Zeitschr. f. Alterhsw. 1846, S. 43. 179) Videtur igitur auct. vit. cuiusdam Horat. e cod. vetust. Blandin. descriptae (cf. Hor. ed. Stallbaum. Lips. 1854 p. VI) Suet. secutus esse. 180) Cf. Jahn. edit. a. 1843, p. 238 et 1851, p. 39. 181) n. 2050: Pers. — nascitur," contra ad n. 2079: „Pers. moritur" haec ille: auct. vet. interpres Pers. in eius vit. 182) Ad n. 1838, 1869, 1914, 1901, 1914, 1915, 1926, 1930, 1947, 1959, 1964, 1974, 1975, 1986, 1990, 1995, 1998, 2000, 2022, 2080. Minus recte igitur se habent, quae dicit Ritschl. Parerg. p. 618: Diese Uebereinstimmung seqq. 183) Videntur etiam Hier. esse, quae n. 2083 legimus. 184) cf. Scal. Commentar. in thes. tempp. Lugd. Bat. 1606. 185) cf. cum n. 2316 Eutr. IX, 23, cum n. 2316 Eutr. IX, 24. 186) cf. Hier. n. 1991 cum Eutr. VII, 10 Suet. Aug. 21, n. 2081 cum Eutr. VII, 14 Suet Her. 18, n. 2089 cum Eutr. VII, 19 Suet. Vesp. 8. 187) Hier. n. 2195 — Eutr. VIII, 14 ex Jul. Capit., al. 188) Sunt. haec Euseb. (ed. Auch. t. II, p. 257). 189) Videntur Sexti Rufi esse, quae dicit Hier. n. 1504, 1506, 2118, 2281. 190) Ad Attic. II, 16 cf. Quintil. X, 1, 83. 191) cf. Fabric. bibl. lat. I, p. 143 Schott. Tull. quaest. I, 30. 192) cf. Herm. l. l. n. 72. 193) cf. Plin. Ep. ad Traian. 96, 97 Oros. VII, 12. 194) Exempli gratia Virg. vitam a Suet. scriptam esse eo probatur, quod quae Donati et Probi nomine feruntur, duae Virg. vit., hunc habuisse videntur communem fontem (cf. Barth. lib. II, Ablegm. critt. c. 25 et lib. XXX, Advers. 24, G. Voss. et Vellej. lib. II, c. 103). 195) cf. V. Cl. Haasii ed. Tac. Opp. Vol. I, p. LXX. 196) cf. Ritschl. Mus. Rhen. l. l. p. 631. 198) Voss de hist. lat. p. 804. 199) cf. Paol. Cortes. de doct. hominib. 200) cf. Tiraboschi: Storia della letterat. Ital. Florenz. 1809 p. 765. 201) cf. Weichert: imp. Caes. Aug. scriptt. rel. p. 158 seqq. 202) cf. Caes. ed. Nipperd. p. 783. 203) cf. Ritschl. in lib. p. 34 a me laudatis. In Mus. Rhen. 1848 P. 515 iam „Hebdomades" lib. de poetis substituit. 204) Sic. Suet opus inscriptum fuisse perperam statuit Casaub. 205) cf. Car. Sigon. iudic. de hist. Rom. opp. omn. T. VI, p. 969. 206) Inter viros doctos Gell. eum retulit IX, 7, 3. 207) cf. Gell. II, 25 Lersch. d. Sprachphilos. d. Alten dargestellt an d. Streite über Analogie und Anomalie d. Spr. Bonn 1838. 208) Qui cognominatus est Κρατήτειος, cf. Schol. ad Hom Il. Ψ. 79 p. 606 Bekk. 209 cf. R. Schmidt de Stoic. gramm. p. 3. 210) Rectius fortasse, quam quae Graefenh. dixit, Bernhardyus (Röm. Litgesch. p. 660 A. 586) quae opinatus est, se habent. 211) Nec vitam Palaemonis Stoicorum praeceptis respondisse apertum est (cf. Suet. de gr. 23). 212) Ztschr. für Alterthsw. 1845, p. 85 seqq.

VITA.

Antonius Theodorus Josephus Regent, sacris pontificiis addictus, tricesimo huius saeculi anno a. d. III Cal. Novembres Vratislaviae natus sum patre Eduardo, Capituli ecclesiae cathedralis ad S. Joannem summe reverendi actuario, matre, quam morte nuper ereptam lugeo, Carolina e gente Desmara. Primis litterarum elementis cum ludo publico essem imbutus, a. 1840 inter gymnasii ad S. Matthiam, quod hac urbe sub auspiciis directoris clarissimi Dr. Wissova floret, discipulos receptus sum ibique scholas frequentavi, donec maturitatis testimonio instructus a. 1849 Universitatem petii Viadrinam, antiquarum litterarum studio me dediturus. A viro Ill. Ambrosch, fasces academicos illo tempore tenente civibus academicis adscriptus nomine apud V. Ill. Kummer, ordinis philosophorum tunc Decanum, rite dato scholis interfui a VV. Ill. Schneider, Ambrosch, Haase, Elvenich, Braniss, Roepell, Rükkert habitis. Necnon mihi contigit, ut a viris amplissimis maximeque colendis Schneider et Haase inter sodales seminarii philologici regii reciperer, cui per biennium adscriptus fui.

Jam vero de Universitate decedens omnibus quos nominavi viris Ill. gratiam habeo quam debeo maximam omnique tempore animum referam pium gratumque.

THESES.

I. Linguae cuiusque gentis cognitio cum historia ipsius coniungenda est.

II. Aesch. Prom. v. 380 (ed. Herm.) legendum existimo:

ὀργῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.

III. Aesch. Agam v. 201 (ed. Herm.) legendum esse censeo:

παυσαμένου γὰρ θυσίας
παρθενίου θ' αἵματος ὀρ-
γᾷ περιόργως ἐπιθυ-
μεῖν θέμις. εὖ γὰρ εἴη.

IV. In Soph. Aiac. 1223 Teucrum revertentem Menelaus comitatur.

V. In Virg. Buc. Eccl. III V. 109 hoc est Palaemonis arbitrium:

et vitula tu dignus et hic et quisquis amores
aut metuet dulcis aut experietur amaros.

VI. In Suet. Aug. c. 19 coniicio legendum esse: ad extremum Telephi maligni servi, nomenculatoris.
